To his esteemed Friend Dr. Sims
with the editor's kind Respects.
8

EXCERPTA

EX

FRIDER. JAC. BASTII

COMMENTATIONE PALÆOGRAPHICA,

CUM

TABULIS LITHOGRAPHICIS XX.

A JOHANNE HODGKIN

TRANSCRIPTIS.

VENEUNT APUD J. H. PARKER, OXONII: J. ET J. DEIGHTON, CANTABRIGIÆ:
DUNCAN ET SOC., EDINBURGI: M. KEENE, DUBLINI: BAILLIERE, PARISIIS:
J. TAYLOR; SIMPKIN, MARSHALL ET SOC.; J. ET A. ARCH; ET DARTON
ET HARVEY, LONDINI.

MDCCCXXXV.

LONDINI:

TYPIS RICARDI WATTS; ET PRELO LITHOGR. R. MARTIN.

ORNATISSIMO VIRO,

MUNIFICO ET, ETIAM JUVENILIBUS AB ANNIS,

CONSTANTI AMICO,

HUDSON GURNEY,

REGIÆ SOC. SOC.

ET SOC. ANTIQ. LOND. V. PRÆSIDI,

HUNC LIBRUM,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

DICAT

JOHANNES HODGKIN.

LECTORI BENEVOLO.

"Constituerat vir præstantissimus [Frider. Jac. "Bastius], quicquid palæographicarum observatio- "num in notis ad Gregorium Corinthium, itemque in "Epistolâ Criticâ ad Boissonadum ejusque Appen- "dice, dispersum est, accurato plenoque Indice com- "plecti.—Itaque in notis ad Grammaticum nostrum "lectores passim jussit adire, *Indicem Palæographi- "cum.* Sed cum operi manum admovisset, quod in "tantâ exquisitissimæ doctrinæ ubertate totque "Imperialis Bibliothecæ thesauris nemo mirabitur, "materia adeò excrevit, ut, currente rotâ, non Index, "sed liber exiret plenus rerum optimarum, pergratum "Philologis futurum δῶρον ἐκ Μοισᾶν. Hunc, titulo "inscriptum Commentationis Palæographicæ, hoc "loco ponere placuit."—Schæf.

De commentatione Palæographicâ clarissimi Bastii nequaquam me decet, Lector benevole, aliquid adjicere verbis doctissimi Schæferi quæ suprà citavi; quædam tamen de tabulis mihi liceat annotare. Tabula prima, quasdam sententias, e Bastii commentatione excerptas, exhibet, quibus explicationes

subjeci. In cæteris tabulis, contractiones, ex ordine literarum, collocavi: rationem modumque secutus, quibus, adjuvante viro illo eximio Thomâ Young, M.D. usus sum in Pœcilographiâ Græcâ. Has contractiones, maximâ curâ et, ut spero, non sine fidelitate, transcripsi. Quod si earum explicationes non formosissime scribuntur, hoc, partim difficultati eas in chartâ ceratâ inscribendi, partim, fortasse, defectui, cum oculorum tum manûs scribæ, jam annum ætatis suæ septuagesimum agentis, assignandum est.

Hìc non abs re erit dicere, Robertum Finch, ob summam eruditionem memorandum, conspectâ, Romæ, Pœcilographiâ Græcâ, hoc opus Thomæ Hodgkin, M.D. suggessisse, quod, ut dilecti Filii desiderio satisfacerem, suscepi.

Vale, Lector benevole, et hisce nostris laboribus faveas.

MDCCCXXXV.

INDEX.

A.—De Singulis Literis.

B.—Compendia.

a.—Singularum Literarum.

b.—Singularum Syllabarum.

c.—Integrarum Vocum.

EXCERPTA

EX

FRIDER. JAC. BASTII

COMMENTATIONE PALÆOGRAPHICA.

A.—DE SINGULIS LITERIS.

Alpha.—*Alpha* et *Delta* ductu non dissimili scribuntur tam in alphabeto unciali quam in minusculo. De formis harum literarum minusculis vide voces ἀμφὶ, Αἰνείας, διατί, δῆμον, ex Cod. Marciano Homeri A. et Montfaucon. Palæogr. Gr. p. 347. Hæ literæ facile commutantur, nisi sensus verborum seriesque orationis manifesto docet, utra intelligenda sit.

Etiam *Alpha* et *Lambda*, tam in alphabeto unciali quam in minusculo, simili scribuntur ductu, ideoque commutantur.

Alpha in scripturâ Codicis Palat. 398. Paris. 1807. Vindob. 54. aliorumque codicum interdum lineolâ instructum est productiore, quæ literam ι referat: ut non simplex ᾱ, sed α̅ι̅ videre tibi videaris; e. c. ποιοῦνται pro ποιοῦντα, ὅσαι pro ὅσα. Hoc *Alpha* plerumque in fine vocum conspicitur. Sed reperitur etiam in mediis vocibus, e. c. in voce πᾶς. E contrario, ᾱ passim reperitur pro α̅ι̅. Librarius Codicis Palat. 398., unde verba ποιοῦντα, ὅσα, πᾶς, παῖδα, Θρᾴκης, sumpta sunt, ubi παῖς scribendum esset, aut *Iota* longum, subter lineam demissum, (v. παῖδα) scripsit, aut ᾱ ita posuit ut ῑ non contingeret. In voce Θρᾴκης juxta tale *Alpha* conspicitur *Iota* adscriptum.

Aliis in codicibus *Alpha* interdum literæ proxime sequenti per semicircellum literæ ῡ non dissimilem continuatur: unde factum, ut ᾱ et α̅υ̅ commutarentur (vide voc. κατατοὺς, ταῦτα, διατὸν, ex Cod. Paris. 1524). Hoc facilius etiam accidit, ubi, ut in κατατοὺς, διατὸν, præpositiones, omisso earum accentu, vocibus sequentibus adhærerent: qui scribendi mos, satis ille frequens, errores non paucos peperit.

Alpha sic pictum, ut ultimum in ἔσχατα et in δῆλα (ex Cod. 1524) parum differt, maxime in tachygraphorum scripturâ, a diphthongo ει in vocibus ἐκείνης et λαθεῖν. Compara etiam posterius *Alpha* in πρᾶγμα cum ει in λέγει.

De notissimâ commutatione literæ α et diphthongi ευ jam Montfaucon. Palæogr. Gr. p. 343. egit. Voces βασιλεύων et εὕρηνται, eam tenentes formam diphthongi ευ, quæ ad literam α proxime accedit, sumptæ sunt e Codice Paris. 2433.

Vide *Beta*; *Epsilon* ob commutationem syllabæ συ literæque α; *Omega*; denique ob similitudinem cum εν, ιν, οι et ος infra has syllabas.

Beta.—Inter varias hujus literæ formas plurimarum fons confusionum fuit ea, quam ostendunt voces ἁβρὸν, βάρβαροι. Quippe *Beta* sic formatum librarii confuderunt.

1. Cum *Alpha*, et quidem ita scripto, uti hanc literam οἱ τυποπλάσται etiamnunc in usum typographorum effingunt. Nam si *Alpha*, id quod facile fit in scripturâ tachygraphi, sic scribitur, ut ductus calami superne interruptus hiet, forma ejus ad *Beta* accedit: sin literæ *Beta* anterior vertex inclinat versus posteriorem, *Alpha* videre tibi videaris.

2. Cum *Kappa* sic scripto, uti in voce Θρᾴκης.

Primi scriptorum Græcorum editores, non semper satis instructi palæographicarum rerum cognitione, tali modo haud raro lapsi sunt. Sic Lucas Holstenius ἄκρον pro ἁβρὸν legit.

3. Cum *Mu*, eoque antecedenti literæ sic adhærente, ut primus ipsius ductus infra lineam non porrigatur. Exempla hujus *Mu* dant voces ἀβραμιαῖος, γαμέσσεται, βωμοὺς, ex Cod. S. Germ. 345.

4. Cum *Omega*, et quidem tum, cum *Beta* sequenti literæ non jungitur, ipsiusque secundus ductus uncinulum habet sursum porrectum. Vide *Omega* in βωμοὺς, et *Beta* in ἀνέβη. Errores in ἀμοιωης et in ἐν (ex. 6) τοῖς (ex. 3) ῶ ττ inde orti, quod in libro, unde transcriptus est, Cod. S. Germ. 345, *Beta* esset quod librario videretur *Omega*: error in διὰ του β hinc

quod scriba poneret *Beta*, cum *Omega* deberet:—vix quidquam intercedit discriminis inter ωι (ῳ) et ιι (βι).

Tale *Beta*, arcte adhærens τῷ Υ ψιλῷ, sive syllaba ῡυ (β̄υ) in Codd. MSS. vix ac ne vix quidem differt a syllabâ ῡν, eaque continuo ductu scripta, vid. voces σύνθεσις, συνήθεια.

Beta sic scriptum, ϐ̄, quando duo illi ductus circulares, quod facile accidit in scripturâ tachygraphorum, se mutuo contingunt, simile fit literæ θ, (v. λαϐεῖν et λαθεῖν, ex Cod. Paris. 133.) Hæc causa fuit cur ϐ̄ et θ̄ confunderentur.*

Gamma.—*Gamma* et *Tau* in alphabeto tam unciali quam minusculo (v. γάστρις, ὀγκοῦν, ταυτὸν) simili modo scribuntur, ideoque commutantur.

Item Γ et Π, quæ formæ etiam in minusculâ scripturâ quorundam codicum reperiuntur, similia sunt, quando minutulus ductus, qui additur superiori parti literæ *Gamma*, justo magis deorsum vergit, aut secunda literæ *Pi* columella lineam horizontalem, cui voces insistere debent, non plane contingit.

Delta.—*Delta* in alphabeto et unciali et minusculo simile est literæ Λ, s. λ.

Compendium κατᾶ (ex Cod. S. Germ. 345) significat κατάδικοι vel καταδικασθέντες.—*Delta* sic effictum ductu productiore, quando duo puncta sibi imposita habet, valet δ̄ι, Itaque passim legerunt δ̄ι etiam punctis illis deficientibus, ubi solum δ̄ legendum esset. Sic Villoisonus legit ἀναδιέστη pro ἀνὰ δ' ἔστη, et καὶ δι' αὐτοῦ ἡ pro καὶ (ex. 7) δ' αὐτ' ἡ (ex Cod. Marc.) aut rectius καὶ δ' αὐθ' ἡ.—In quorundam codicum scripturâ, si spiritum accentumque non attendas, facile confundus δὴ et ἐξ. Adde quod δη̄ (perinde ac δα̅ι) facile haberi potest pro δρ.—δρ autem et ε̄ξ confusa esse, libri passim docent.

Epsilon.—Quam formam hujus literæ in unciali alphabeto nunc usurpamus ejus vel in iis codicibus, quos in hac com-

* De aliâ formâ literæ *Beta*, quæ ad *Zeta* accedit, v. infra v. ζήτει.

mentatione dico vetustissimos, h. e. in libris noni seculi *, nullum vestigium reperitur. *Epsilon* enim ubique est formâ rotundâ, differtque a *Sigma* lineolâ medium locum occupante. Hæc lineola, tenuissimo calami ductu pingi solita, cum oculos legentium passim effugerit: quis miretur, *Epsilon* et *Sigma* in unciali alphabeto facile confundi? Sed eadem confusio in minusculâ scripturâ Codicis Palat. 398. aliorumque locum habere potest, ubi *Epsilon* a *Sigma* sæpius tantum uncinulo super lineam extante differt. Si lineola, quæ *Epsilon* a *Sigma* distinguit, non in ipso medio posita est, sed inde sursum versus deflectit: tale *Epsilon* facile potest pro *Rho* haberi. Sic Villoisonus in Scholiis ad Il. E. 53. perperam dedit ἀδιανόητον ἀρ. Pro ἀρ, cum Cod. Marc., δὲ legendum est. Scilicet Villoisonus falso ε̄ pro ρ̄, δ̄ pro ᾱ habuit.

In E ψιλῷ minusculæ scripturæ Codicis Palat. 398. (vide e. c. voc. ἑλληνικὰ) aliorumque ductus sæpe sic habent, ut, si lineola copulans *super lineâ* adjungatur, hæc litera transeat in *Theta* (θ).

In Cod. S. Germ. 345. *Epsilon* passim sic scriptum est, ut in vocibus ἐέλδωρ et ἔηος. Quod si medius ductus, ut in v. ἔηος, non recta porrigitur, sed nonnihil incurvatur: persimilis fit τῷ Υ ψιλῷ, literaque ε̄ facile habetur pro syllabâ σ̄ῡ. Hinc solennis confusio præpositionum ε̄ν̄ et σ̄ῡν̄ in vocibus compositis, sive ν̄ maneat, seu mutetur in γ̄ aut μ̄. Vide voces συμφώνισται et ἐπισυμπεπτωκότα, e Cod. S. Germ.

De similitudine passim obviâ τοῦ E ψιλοῦ cum syllabis ᾱν̄, ᾱς̄ et ε̄ν̄, v. infra has syllabas.

Zeta.—*Zeta* et *Xi* cum scribantur similibus adeoque simillimis ductibus, non mirum est, toties inter se commutari. Vide voces ἕξειν et ζῴων e Cod. Palat. 398. item ξανθὴ, ξενίζειν, Ζεὺς, ζηλοτυπία, e Cod. S. Germ. 345.

De aliis formis literæ *Zeta* vide v. ζήτει.

---

* *Vetustissimos* codices dico libros seculi noni: *vetustos*, decimi, undecimi, duodecimi: *recentiorum temporum*, decimi tertii quartique: *novellos*, decimi quinti sextique.

Eta.—Quâ nos formâ hujus literæ tantùm in unciali alphabeto utimur, ea in codicibus temporum et vetustiorum et recentiorum etiam in minusculâ scripturâ reperitur.

Hoc *Eta* (H) minus accurate legentes sæpe habuerunt pro N, quæ forma literæ *Nu* item in minusculâ codicum scripturâ satis frequens est. Hæc causa confusionis harum literarum, inprimis ibi, ubi calamus scribæ obtusior minutos earum ductus tam parum distincte fecisset, ut, rectus esset medius ductus an obliquus, non appareret, sed judicium penderet a solo sensu verborum. Etiam Π et H interdum solo verborum sensu dignosci possunt, quoniam calamus velociter scribentis parum curat, quem locum medius ductus, summum, ut decet, an paulo inferiorem, occupet.

Interdum posterior ductus figuræ H non rectâ pingitur ac παραλλήλως priori, sed sic, ut in vocibus δῆλα et ἐκείνης. Id ubi factum esset, sæpe IC (ις̄) pro H legerunt. Ideo confusa sunt nomina in ημα̅ et ισμα̅.

Eta minusculi alphabeti, cui duo sunt puncta superscripta, in quibusdam codicibus, e. c. in Cod. Paris. 1741, indicio est, pro η̄ legi oportere ῑ. v. Οἴδιπους ex Etymol. Sorbon.

Eta in scripturâ codicis Palat. 398., omninoque codicum seculi noni, decimi, undecimi, etsi differt a literâ *Kappa*, id quod lector attente inspiciens exempla καὶ ἤ, ᾤκηται, Κτησύλλης, facile intelligat: tamen non exigua inter has literas intercedit similitudo.

De frequenti commutatione particularum ἢ, καὶ, et ὡς agam infra s. voce καὶ et syllabâ ω̅ς. Vide etiam s. syll. ε̅ν recentiorem formam literæ *Eta*, quæ similis est syllabæ ε̅ν.

Eta passim referre literam *Rho*, passim diphthongum α̅ι, monebo infra s. syll. α̅ι lit. *b*.

Idem superscriptum interdum non differt ab η̅ς. v. infra hanc syllabam.

Theta.—*Theta* et *Omicron* commutata in alphabeto tam minusculo quam unciali. In minusculâ enim scripturâ *Omicron* non semper circulari flexu, sed interdum sic pingitur, ut plane referat literam θ, in quâ deficit ductus transversus.

V. etiam *Beta* et *Epsilon*, atque ob formam ϑ *Phi* et s. syll. $\overline{ευ}$.

Iota.—*Iota*, initio vocis positum, in Codice Palat. 398. duobus punctis notari solet. Sic in ἱστορεῖ, ἰδίαις. Id cum fit, librarii passim spiritum omittunt; alibi non solum spiritum, sed simul accentum, e. c. in ϊακῶς.

Posteriorum temporum scribæ duo illa puncta pene omnibus et ῑ et ῡ, sive ab initio vocum seu alibi, imposuerunt.—Interdum duorum loco punctorum unum ponitur. v. voces σίνεταί φησιν e Cod. Philem. Lex. Technol. In Codice Draconis περὶ μέτρων semper legas διϊπετὴς, διΐαμβος, θέτιϊ, φόρκυϊ, etc. ubi bina puncta super posteriore *Iota* sunt puncta διαιρετικά.

Iota quod *subscriptum* dicimus, olim in ipso versu scribebatur, nunc communis habens formæ brevitatem, nunc solito longius porrectumque infra lineam (v. voces ᾤκηται et πολλῇ) interdum etiam superscribebatur, si scriba omisisset. v. βήσσῃς et ᾄδεσθαι.—Multæ voces, nunc carentes *Iota* subscripto, in codicibus cum illo reperiuntur. v. κρύφα.

Pro litera ῑ in codicibus passim legitur diphthongus $\overline{ει}$: cujus rei causa esse potest pronunciatio Græcorum $\overline{ει}$, $\overline{η}$, ῑ, $\overline{οι}$ et ῡ eodem sono efferentium.

V. de similitudine literæ *Iota* sub lineam productæ cum *Lambda*, *Rho*, $\overline{αι}$ et καὶ, $\overline{αν}$, $\overline{ερ}$, infra has literas et syllabas.

Kappa.—Quod nunc usurpamus in alphabeto unciali *Kappa* (K), in codicum scripturâ apparet tam minusculâ quam unciali. Altera tamen pars hujus literæ in codicibus non semper ejus est formæ, quâ nunc fingi solet, sed satis frequenter ductûs rotundi est. Vide *Kappa* in κατατοὺς, ἐκείνης, καὶ (ex. 7), ἀλκὶς, et αἰολικοῦ.—Jam si *Kappa* hanc formam habet, simulque posterior pars a priori nonnihil distat, (quod sæpe accidisse quis non intelligit?) tale *Kappa*, nisi sensum verborum seriemque orationis expendas, non possis dignoscere a syllaba $\overline{ις}$, cum quâ sæpe confusum fuit.—Hujus confusionis, a nemine adhuc, quod sciam, explicatæ, causa nunc manifesta est. Sic legerunt ἐκ pro εἰς, et vice

versâ :* In minusculâ scripturâ codicum vetustorum *Kappa* hanc habet formam, quam ostendit vox, Θρᾴκης.

De confusione hujus *Kappa* cum *Beta* et *Eta*, vide supra has literas.

Interdum *Kappa* simile est literæ *Mu* cum eâque confunditur, e. c. in verbo ὄγκοῦν, si lineola accedat, quæ copulet primum secundumque ductum literæ *Kappa*, transit hæc litera in verum *Mu*.

Denique commemoranda illa forma literæ *Kappa*, quæ solennis est quibusdam librariis in superscribendo (v. voces περιστατικὰ, κλητικὴν, ἱππικῇ, ἰακῶς) quæque frequentatur in compendio syllabarum finalium ικος.

De similitudine literæ *Kappa* cum syllabâ εν vide infra compendium τοῦ Ε ψιλοῦ: et cum syll. ους v. infra hanc syll.

Lambda.—Formæ Λ et λ in codicibus nunc cum *Alpha* nunc cum *Delta* confusæ sunt. V. supra has literas. De confusione literæ Λ cum literâ Π, v. infra *Pi.*

In minusculâ scripturâ non λ, sed illa forma est vetustior, quâ librarii Codicis Palat. 398, Platon. 1807, aliorumque librorum manu scriptorum usi sunt, quamque cernes in voces λέληθεν, ἄλσος, λίαν, &c.—Hujusmodi *Lambda* multarum causa commutationum fuit. Habuerunt enim

nunc pro *Iota* infra lineam producto, legeruntque e. c. τροχμαιοὶ pro τρόχμαλα. v. Gregor. p. 512.

nunc pro *Mu*, quando e. c. ἅμα legebant pro ἄλα ;

nunc pro *Nu ; Nu* ita scripto, ut in Cod. Palat. scriptum est, quales formas hujus literæ jam plures lector, tabulis inspectis, notas habet. Etiam syllaba λι cum literis *Mu* et *Nu* confusa est: cum *Mu*, in πάμα pro πάλιν (nam literæ ᾱ et ν̄ pari modo compendiose significantur lineolâ superscriptâ); cum *Nu*, in μὲν pro μέλι.

Duplex Lambda item pro *Mu* passim habitum est, et vice versâ. Sic scripserunt ἀλλὰ pro ἅμα.

Denique syllaba λυ et litera *Mu* tam simili scribuntur ductu, ut, nisi seriem orationis attendas, vix dignosci possint. V. ἐκωλύθη, καλυπτόμενα.

Quot hucusque enumerari confusiones, nascuntur ex eâ

---

* Et sic Ἄρκτος pro ἄριστος. Porson.—*Ed.*

formâ literæ *Lambda*, quam ostendunt voces λέληθεν, ἄλσος, λίαν, &c. In Codice Apollonii Dyscoli 2548. hoc *Lambda* interdum sic effictum est, ut in v. ὁλοκληροτέραν.

Quâ nunc utimur formâ literæ *Lambda*, in libris manu scriptis interdum similis est literæ χ̄. V. infra literam *Chi*. V. etiam de similitudine ejusdem *Lambda*, ubi superscribitur, cum notâ tachygraphicâ syllabæ ω̄ν, quando accentus acutus hanc notam contingit, infra s. hac syllabâ. Superest alia forma literæ *Lambda*; nimirum ea, quæ reperitur in Cod. S. Germ. 345, in Cod. A. Scholiorum Homericorum, itemque alibi (conf. Montf. Palæogr. p. 346. col. 3. voce παῦλα) quando hæc litera, syllabis finalibus omissis, vocali antecedenti superscribitur. Talia compendia vocum, quibus hujusmodi *Lambda* superscriptum est, haud raro ambigas, quomodo expleri oporteat.—Compendia vocum δῆλον, δηλονότι, significant etiam, prout series orationis poscit, δῆλα, δηλαδὴ, δηλοῖ, δηλοῦν, δηλωτικὸς, &c. Horum verborum plura, nominatimque quod modo dixi δηλωτικὸς, interdum, vel sine finali *Lambda*, compendiose sic scribuntur ut in articulo ex Cod. S. Germ. 345. excerpto: Τητινὸν, ἐπίῤῥημα, χρόνου, δηλωτικόν.—Verba τὴν (ex. 4) Ἀχιλλέως τιμὴν (ex. 2) e Schol. Homer. ad Il. A. 564. excerpta sunt, ἡ (ex. 5) ἀμφιβολία αὔτη (ex. 2), e Schol. Homer. ad Il. Δ. 37.

Mu.—Vide supra *Beta, Kappa, Lambda;* et ultimo quidem loco de confusione cum *Lambda* tam simplici quam duplici (λ̄λ), itemque cum syllabis λ̄ι et λ̄υ.

Neque minus confunduntur *Mu* et *Nu*, quando in literâ *Mu* lineola eam cum sequente literâ jungens aut plane deest, aut certe oculos legentis fugit. In excerptis Apollonii Dyscoli restituo μᾶλλον (ex. 1) δώριος ἡ (ex. 2) μητάληψις, pro μ. δ. ηνετάλητις.

Nu.—In scripturâ et unciali et minusculâ N interdum vix potest ab H dignosci: unde orta commutatio harum literarum. V. supra *Eta*, item Montf. Pal. p. 346. col. 3. V. v. οὐράνιος, οὐρανῶν, etc., ubi medius ductus literæ *Nu* non transverse, sed rectâ porrigitur.* Porro ut *Eta* cum syllabâ IC

* Vide etiam Pœcilogr. Græc.—*Ed.*

(ις̄) confusum est, perinde librarii legerunt IC, ubi N debebant.

De unciali literæ *Nu* forma obiter hoc addo, non minus facilem ejus esse confusionem cum literâ *Kappa* sic scriptâ, ut pro IC haberi possit. Etiam Π pro N haberi posse, dicam infra s. compend. literæ *Nu*.

In minusculâ scripturâ *Nu*, sic effictum, ut in Cod. Palat. aliisque (v. vocem ποιοῦντα) cum *Lambda* et *Mu* confunditur. v. supra has literas. Non minus frequens, et fortasse frequentior etiam est ejus confusio cum *Rho*. Sic legerunt ῥ οὖν pro ν οὖν. v. Gregor. p. 4.

Forma literæ *Nu* nunc usitata (ν̄) ubi in libris manu scriptis occurrit, interdum majorem habet longitudinem, quam quæ est hujus literæ in typis quibus operæ nostræ utuntur. Vide voces νῦν, γεννηθέντας, οὐσίαν e Cod. Paris. 2423. Hinc oritur similitudo hujus literæ cum *Gamma* (γ̄).

Notissimam confusionem literarum ν̄ et ῡ tangam infra s. Υ ψιλῷ. Exempla ejus ubivis occurrunt.

Xi.—Vide supra *Zeta*.

Præpositio πρὸς passim eâ notâ tachygraphicâ scribitur, quæ non dissimilis sit literæ ξ̄ aut ζ̄.

In Scholiastâ Platon. p. 168, legebatur ξήκει pro προσήκει. Integrum Scholiastæ locum (tab. I.) ex egregio codice 1807 representavi. In altero exemplo, item e cod. 1807 sumpto, prima manus scripsit voces βοτάνης ὄνομα ποιᾶς: altera manus adjunxit hæc, βαρύνεται δὲ, ἐπειδὴ κύριον· ὅτε δὲ προσηγορικὸν, ὀξύνεται. Quænam sit hæc altera manus, discas ex notâ in fine codicis additâ: Ὠρθώθη ἡ βίβλος αὕτη ὑπὸ Κωνσταντίνου Μητροπολίτου Ἱεραπόλεως, τοῦ καὶ ὠνησαμένου. Parisina Bibliotheca possidet codicem Æschinis oratoris (S. German. 249), in quo compendium hoc præpositionis πρὸς pæne singulis paginis apparet.—Voces προσυπακουστέον, πρὸς ἕκαστον, πρὸς τοὺς λόγους, (tab. I.) ex hoc libro sumptæ sunt.

Omicron.—Vide literas *Theta*, *Sigma* et *Upsilon*. Recentioribus seculis scribæ passim in linearum (versuum) exitu

literas *παραλόγως* grandes pingunt, auctas illas adventitiis ductibus prælongis, quos nonnulli pro ο̄ *μικροῖς* habuerunt. Talium ductuum adventitiorum exempla dant voces *ὕψωμα*, *θάλασσαν*, *χρείαν*, *ἢ* (ex. 1), *καὶ* (ex. 18), *δὴ* (ex. 1), e Cod. Paris. 2423.—Hac occasione moneo, Codicem Ven. Homericum in fine pæne singulorum Scholiorum aut bina puncta cum lineolâ, aut aliquod signorum sequentium $\left(\begin{smallmatrix} : \times \cdot + \\ : - \cdot + \end{smallmatrix}\right)$ habere solere. Hujusmodi ductus in plurimis codicibus reperiuntur, nihil significant, possuntque comparari cum signo illo ·|·, quod Galli scribæ in fine scripti Gallici haud raro ponunt. In Scholiis ad Iliad. Γ. 426. Villoisonus, aliud agens, tale signum, forte contingens literam finalem vocis extremæ, pro compendio syllabæ $\overline{\tau\alpha\iota}$ habuit legitque *ἐφίζεται* pro *ἔφιζε*.—Pro *Νέστωρ τ᾽ αὐτός τ᾽ ἔφιζε*, lege *Νέστωρ αὖ τότ᾽ ἔφιζε*. Odyss. Γ. 411.

Omicron οἱ ταχυγράφοι sæpissime adnectebant literæ proxime præcedenti, qui scribendi mos varios errores genuit. Hanc ob causam in Apollonio Villoisonus legit *ἀκουώμεθα* pro *ἀκουσόμεθα*.—Frequentiori etiam errore ο̄ tali ratione adnexum habebant pro ductu nihil significante, in legendoque plane negligebant. E contrario ductus rotundi nihilque significantes, etiam quando non extremis vocibus lineisque, sed alibi erant appicti, nonnunquam pro ο̄ *μικροῖς* habiti sunt. Literam ο̄ sic cum *Lambda* connexam vide in vocibus *ἀλόγους* et *λογάρια* e Cod. S. Germ. 345. Sic Leo Allatius in Anonymo de Incredib. c. 16. *χρείαν* legit pro *χορείαν*. Id cur fecerit, Lector intelliget e voce *χορείαν* (e Cod. Vat. 305). In exemplo *ἔχον* (ex eodem cod.) litera ο̄ cum χ̄ connexa clarius apparet. Quomodo ο̄ cum *Rho* connectatur, ostendunt voces *πρὸ* et *πρὸς*.

V. etiam infra syllabam $\overline{\alpha\nu}$.

Pi.—Confusionis literæ Π cum Λ ratio est petenda ex unciali scripturâ, in quâ *Lambda* superne non semper, ut nunc, acutum habet ductum, sed interdum pæne ejusdem, cujus infra, latitudinis est: quapropter Π et Λ plurimum inter se habent similitudinis. Vide voces *᾽Απόλλωνος*, *λίθον*, (quam

si solam legas, facillime confundas cum v. πίθον), λαγῶς, ἁπλῶς, ex Cod. Pal. 398. Confusionem literæ Π cum Η et Ν tango supra in *Eta*, et infra s. compend. literæ *Nu*.—*Pi* superscriptum in unciali scripturâ interdum simile est lineolæ illi, quæ significat *Nu* aut *Alpha*. v. infra s. compend. literæ *Alpha*. Pro Π librarii passim legerunt ΤΙ, et vice versâ. Si secundus ductus literæ Π, id quod interdum fit, flexu rotundo pingitur (vide vocem πληγῆς ex Cod. Par. 133): facile accidit ut $\overline{τε}$ pro $\overline{π}$ legatur. Etiam inter $\overline{τρ}$ et $\overline{π}$ similitudo passim intercedit: scilicet tum, cum $\overline{τρ}$ sic scriptum est, ut in v. ἐτραυμάτισεν e Cod. S. Germ. 249, rotunditasque literæ *Rho* calami vitio confluxit.

In minusculo alphabeto bini ductus literæ $\overline{π}$, calamo velociter currente, facile tam prope scribuntur, ut amborum confluat atramentum et modo *unam* lineolam effingere videatur. Vide voculam πρὸ aut πρὸς. Hanc ob causam toties confunditur $\overline{π}$ cum $\overline{τ}$, et vice versâ.

Rho.—*Rho* in libris manu scriptis aut sic formatum est, ut in εὕρηνται, aut sic, ut in βάρβαροι, aut denique sic, ut in πυρῶδες.

Primam formam interdum cum Ε ψιλῷ confuderunt, imprimis quando cauda infra lineam aut plane non, aut perparum porrigeretur. v. supra illam literam.

Secundam confuderunt cum *Nu* (v. supra), itemque cum *Iota* infra lineam producto, scilicet quando calamus velociter currens exiguum literæ *Rho* circulum atramento replevisset. Vide e. c. vocem χρόνος (ex. 2) e Cod. S. Germ. 345.

Syllaba $\overline{ρι}$, *Rho* cum *Iota* sic connexo, ut in vocibus καταριθμεῖ, οὔρια (ex Cod. Ven. Homer.) nonnihil habet similitudinis cum $\overline{γ}$.—Etiam simplex *Rho* (sine $\overline{ι}$) interdum habetur pro *Gamma*, et vice versâ.

De similitudine literæ *Phi* cum literâ *Rho* v. infra voc. φασίν.

Tertiam formam literæ *Rho* confuderunt cum compendio syllabæ $\overline{ουν}$. Si rotunditas hujus *Rho* atramento impletur, similitudo nascitur cum compendio syllabæ $\overline{αι}$, aut cum literâ $\overline{η}$. Vide infra syllabas $\overline{ουν}$ et $\overline{αι}$, itemque supra literam

Delta.—Multi scribæ rotundum ductum hujus *Rho* παραλόγως grandem, uncinulumque sub eo minimum fecerunt, sic ut ō videre tibi videaris. v. infra voc. Ἰσοκράτης. Duo *Rho* deinceps posita (ῤῥ) in Cod. Palat. 398. (v. ἔῤῥιψεν) in Cod. S. Germ. 345. (v. Ἀῤῥιανὸς) in aliisque codicibus vetustis nunquam spiritus sibi inscriptos habent: sed *Rho*, a quo vox incipit, ut nunc fieri solet, aspero spiritu instruitur. Pro duplici *Rho* in vetustis codicibus persæpe simplex scriptum est.

Sigma.—Formæ Σ vel in iis codicibus, quos vetustos dico, nullum vestigium apparet. Ubique reperitur alterâ formâ, C. vide quæ supra dixi in literâ E, cum quâ *Sigma* passim confuderunt. Quo nunc utimur finali *Sigma* (ς̄), non apparet nisi in novellis codicibus. Priorum librarii temporum utuntur alterâ formâ, σ̄: atque hoc *Sigma* in Cod. Palat. 398. sæpe conjungitur cum voce sequente, quando hæc incipit a τ̄, π̄, aut σ̄. Sic scribitur εἰστὰ pro εἰς τὰ, αὐτούστε pro αὐτούς τε, εἰσπᾶν pro εἰς παν. Hoc σ̄ conjunctum cum π̄ interdum neglexerunt, inprimis si rotundus ductus vitio calami confluxerat. v. Ἐχενῆῑς πόλιν, (e Parthen. cap. xi.) Punctum super σπ̄, quo separatio harum vocum significatur, itidem in aliis codicibus occurrit.

Per ὑποδιαστολὴν sub σσ̄ in βήσσῃς Σιθονίῳ (e Parthen.) indicatur, βήσσῃς et Σιθονίῳ duas esse voces a se dirimendas: *Iota*que subscriptum in syllabâ σῃς̄, quod juxta literam η̄ esse debebat, supra positum est. Vide supra, in literâ *Iota.* Nonnunquam hæc duarum vocum conjunctio, usque ab illis temporibus repetenda, quibus omnes voces continuo scribebantur, in ipsas editiones scriptorum Græcorum per editorum errorem irrepsit.—De Cod. Palat. 398. juvat hoc addere. Si vox E ψιλῷ finitur, proximeque insequens a τ̄ incipit, librarius, perinde ut in literâ σ̄ ambas voces connectit. Sic scribit ἔπεμπέτε pro ἔπεμπέ τε, εἶχετῷ pro εἶχε· τῷ.—*Sigma* interdum cum O μικρῷ confunditur. Posterior enim litera a priori non differt, nisi absentiâ lineolæ, quæ illam cum literâ proxime sequente copulat: quæ lineola si addatur literæ ō, justum *Sigma* nascitur. In Apollonio, p. 34. Codex S. Germ. dat αἱ ἐν (ex. 5) ἀγροῖο νέμουσαι. Nemo non intelligit, pro ἀγροῖο

legi oportere *ἀγροῖσ* (*ἀγροῖς*).—Confusio vocularum *ου* et *συ* in vulgus notissima est.

Tau.—Vide literas *Gamma, Pi, Chi* et *Psi,* et ob confusionem cum *Lambda* syllabam *ευ*.

Obiter lector advertat formam literæ *Tau* in voce *γεννηθέντας*, et in voce *μέντοι*. Quam si quis contulerit cum *ϛ* in *αὐτόϛ*, aut in *ἑκάϛῳ* insignem harum literarum similitudinem statim intelligit, neque mirabitur, eas sæpius confusas esse.—Similis, sed paulo grandior forma literæ *Tau* satis prope accedit ad compendium syllabæ *ει*. Vide infra hanc syllabam.

Duplex *Tau* in Cod. Palat. 398. ita repræsentatur, ut posterius similitudinem habeat cum literâ *Gamma.* Vide voces *ἐφύλαττον* et *γλώττῃ*.

Upsilon.—Formam hujus literæ solennem in unciali scripturâ Codicis Palat. 398. ostendunt voces *ὑάκινθος* et *αὐτοῦ* (ex. 2). Literæ *Alpha* junctum *Upsilon* sic se habet, ut in voce *Γλαύκων*, e Cod. Plat. 1807. Ita effictum *αυ*, quod lector parum exercitatus facile habeat pro *αι* sæpissime reperi in Scholiis Codicis S. Germ. 249. ad Æschinem oratorem. Vide verba *οὐδὲ ὁ ἀνεψιὸς αὐτοῦ ἐτραυμάτισεν αὐτὸν, ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτόν.* tab. I. Alia est in unciali alphabeto, formâ *τοῦ* Υ *ψιλοῦ*, quando ductus sub lineam demissus omittitur: unde mira existit similitudo ejus cum illâ literæ *Nu* formâ, quâ nunc utimur (*ν*). Vide vocem *προσυπακουστέον*. Tale *Upsilon* habet Codex Vindob. Alciphronis (III. 41) in voce *Δρυάδης*, pro quâ legerunt *Ἀρνάδης*.

Initio vocum *Upsilon* in scripturâ et unciali et minusculâ Codicis Palat. 398. binis punctis insigniri solet. Vide voces *ὕστερον* et *ὑπὸ* (ex. 1). Recentioribus temporibus scribæ bina puncta, aut unum punctum, pæne omnibus *υ* superscribebant, sive ordiretur vocem hæc litera, seu alibi posita esset. Vide supra literam *Iota.*

In minusculâ scripturâ *Upsilon,* ut nemo nescit, facile habetur pro O *μικρῷ*, ac versâ vice. Inde scribarum fluctuatio inter *τύπος* et *τόπος*, inter *δρυμὸς* et *δρόμος*, inter *ναῦς* et *ναὸς*, vide Gregor. p. 10. p. 511. p. 613. Junctum *Upsilon* antece-

denti literæ, e. c. α̅, ϑ̅, σ̅, etc., sæpe sic scribitur, ut haberi possit pro solâ appendice illius literæ: quo fit, ut in legendo passim negligatur. In vocibus quidem διατὸν et ταῦτα, discrimen inter syllabas α̅τ̅ et α̅υ̅τ̅ satis manifestum est: sed non omnes scribæ eâdem diligentiâ in distinguendis diversis syllabis utebantur. Quod enim in codice 1524 legi oportet διατὸν, aliis scribis significat διαυτὸν, syllabam α̅υ̅ ταχυγραφικῶς sic effingentibus, ut altera pars literæ α̅ valeat υ̅. Eodem modo vox Γλαύκων in unciali scripturâ effingitur: ac quemadmodum in illâ α̅υ̅ facile pro α̅ι̅ haberi potest, sic in minusculâ α̅υ̅ habuerunt pro α̅ et vice versâ. Vide exempla supra allata in literâ *Alpha*. De syllabâ ϑ̅υ̅ conf. voces ϑυμὸν (ex. 2), καθυπόταξιν pro καθ' ὑπόταξιν (e Cod. Apoll. Dyscol.) ubi nemo facile negligat in legendo literam υ̅, siquidem, omissâ illâ literâ, nascerentur voces plane barbaræ. Secus accidit in fragmento Dorico ταῦται ταὶ ϑύραι μᾶτερ, ubi primus editor, sensum horum verborum ignorans, ϑραι pro ϑύραι dedit.—Quomodo θ̅ρ̅ in Apollonii Codice scriptum sit, lector intelliget e vocibus ἄρθρον et ἀρθρικὸν. Scriptura syllabæ σ̅υ̅ e vocibus συμφώνισται et ἐπισυμπεπτωκότα nota est.

In minusculo alphabeto *Upsilon* etiam cum *Nu* confunditur, ac vice versâ.—*Upsilon* etiam cum signo ὑφὲν confunditur.

Phi.—Exempla hujus literæ in scripturâ unciali et minusculâ Codicis Palat. 398. vide in v. Ἀλφειὸς.

In nummis aliisque monumentis *Phi* interdum effictum est sic, +. In codicibus etiam admodum vetustis *Phi* sic pictum esse suspicor: unde fortasse explicanda confusio literarum φ̅ et ψ̅.

In Codice Apollonii Dyscoli *Phi* nonnihil habet similitudinis cum literis ϑ̅ρ̅, vide verba φασὶν*, ἄρθρον, et ἀρθρικὸν. Sturzius habuit φ̅ pro ϑ̅ρ̅, et pro simplici *Sigma*, quod est *Sigma* cum notâ tachygraphicâ syllabæ ι̅ν̅: nam codex habet φασὶν, non φασί. Inspice syllabam σ̅ι̅ν̅ simili modo scriptam in vocibus κατὰ (ex. 4), στέρησιν. De confusione literæ *Phi* cum literâ *Rho* vide infra voc. φασίν.

---

* E loco τὸ γὰρ (ex. 8) οἱ τοί φασιν (ex. 1) Δωριεῖς (ex. 2).

Chi.—In scripturâ unciali Codicis Palat. 398. hæc litera non differt a minusculo *Chi.* v. Ἴναχος.—In titulis aliisque monumentis *Chi* interdum sic formatur, +. In codicibus *perquam vetustis* eadem, ut puto, forma obtinuit. Hoc si ponas simulque consideres formam literæ *Tau* in vocibus τοιοῦτος, διὰ τοῦ, (e Cod. S. Germ. 345,) facile intelligas, cur literæ χ̄ et τ̄ commutatæ sint.

Neque rarior est commutatio literarum χ̄ et λ̄. Nam si λ infra lineam producitur, accedente minutulo ductu, qui illam literam connectat cum proxime sequente, nascitur ex eâ χ̄. Vide voces, ἑλὼν, λειμὼν, ἔχων, χειμὼν, (e Cod. Paris. 2423). Rursus scriba Codicis S. Germ. 345. passim χ̄ sic pingit, ut facile possit pro λ̄ haberi. Vide vocem X̄ῡ (Χριστοῦ).

Denique scriba Codicis S. Germ. 345. literam χ̄ etiam sic pingit, ut nonnullam habeat similitudinem cum ȣ̄. v. τροχῶν ex articulo ἡ (ex. 3) ἀπὸ (ex. 1) τῶν (ex. 2) τροχῶν ἔντμησις. Voces ὀκνεῖ εὐλαβῶς ἔχει (ex. 1), e Timæi Lexico Platonico sumptæ sunt.

Psi in scripturâ Codicis Palat. 398. et unciali et minusculâ sic effingitur, ut ostendunt voces γὺψ, πέμψηται, ἔῤῥιψεν. Hinc orta confusio hujus literæ cum τ̄, quando ductus super lineam porrectus evanuit, aut ita tenuis est, ut oculos fugiat. v. μετάληψις.

Omega.—Quâ nunc in unciali alphabeto forma hujus literæ utimur in codicibus quos vetustos dico nusquam occurrit. Librarii Codicum Palat. 398. et Platon. 1807. quomodo in unciali scripturâ *Omega* formare soleant, ostendunt voc. Ἀπόλλωνος, λαγῶς, ἁπλῶς—ὡς (ex. 6), Ἄφωφις, ῷ (ex. 3), ὥρας.

In Cod. S. Germ. 345. *Omega* minusculæ scripturæ accedit ad *Beta.* Jam cum hoc *Beta* simile sit literæ *Alpha,* cum quâ ideo confundi ibidem videbimus, nemo mirabitur, etiam *Alpha* et *Omega* passim commutata esse. Sed hujus commutationis alia etiam ratio reddi potest. V. infra compendium τοῦ Ω μεγάλου, ubi simul exempla commemorantur.

B.—COMPENDIA

a. SINGULARUM LITERARUM.

Alpha.—Hæc vocalis interdum significatur solâ lineolâ superscriptâ literæ antecedenti. Porsonus hanc posuit regulam generalem: "Linea supra literam, si ea litera est consonans, significat ᾱ, si vocalis, ν̄. ἐστῑ e. g. pro ἐστιν et "π̄ραιροῦνται προ παραιροῦνται." Hanc regulam sic finiri oportet: Lineola, quæ ν̄ significat, et superscribitur vocalibus, tantum in fine vocum reperitur; sed lineola, quæ significat ᾱ, occurrit promiscue in vocibus tam mediis quam extremis, imponiturque et consonantibus et vocalibus.—Solus verborum sensus seriesque orationis docet in fine vocum lineola voculi superscripta literam ν̄ significet an ᾱ. Sic ἐστῑ, ut vere Porsonus, est ἐστιν: sed ἐστί̄ est ἐστία. Omnino syllabæ ι̅α̅ pæne in omnibus codicibus seculorum noni, decimi, undecimi, duodecimi reperiuntur compendiose sic scriptæ: ῑ. Rarius occurrunt compendia ε̄, ο̄, ῡ, ω̄ pro syllabis ε̅α̅, ο̅α̅, υ̅α̅, ω̅α̅. Sed lineola tali modo superscripta cum facile possit negligi, non mirum, librarios *Alpha* sæpius neglexisse.

In Cod. Palat. 398, Cod. Platon. 1807, aliisque vetustis codicibus lineolâ superscriptâ, quæ *Alpha* aut *Nu* significat, interdum satis longa est, ejusque tam initium quam finem minutus ductus ad perpendiculum contingit. v. voces τῶν (ex. 1), οὖν (ex. 1), ὀφεῖλον. Commemoro hoc propterea, quod bini isti ductus perpendiculares lineolam hanc similem faciunt unciali *Pi* superscripto, utpote cujus ambæ lineæ parallelæ sæpe tam pusillæ sunt, ut vix cerni queant (vide vocem ἐπιτηδεύων). Hæc autem similitudo varios errores peperit. Sic legerunt ἐν pro ἐπὶ in Scholiastâ Platonis p. 249, ubi vocis ἐφεντες interpretatio est ἐπιτείναντες (non ἐντείναντες) ἢ κινήσαντες.—Ἐν solum per se in cod. 1807 passim sic scribitur, ut apparet in ex. 8. V. voces τὰ (ex. 3) δὲ (ex. 1) ἐν (ex. 8) ἄστει (Schol. pag. 167).

Sed ubi ἐν cum aliis vocibus compositum est, hoc compendium nusquam occurrit, cum lineolâ mediis in vocibus nun-

quam significet $\bar{\nu}$. E contrario, litera *Epsilon*, superscripto *Pi*, solenne est compendium voculæ ἐπὶ.

Lineola superscripta, quæ significat $\bar{\alpha}$, in codicibus recentiorum temporum rarius occurrit. Quo magis his in libris increbrescunt bina puncta sibi superimposita (:), quæ videas etiam in codicibus vetustioribus. Hæc puncta, maxime post literas π, τ, σ, θ, λ, ϛ usurpantur, ponunturque sic, ut ostendunt voces πατρίδα, παῖδα (ex. 1), τάλαντα, ἀπήτησα, ἐνταῦθα, τὰ (ex. 2) περιστατικὰ, κατὰ (ex. 6) πάντα, τάξιν, quæ omnes e Codice Hermogenis 1983. sumptæ sunt. Facile confunduntur cum illis duobus punctis, quæ juxta se collocata (..) significant $\bar{\iota}$. Vide voces γράψαντι, Λυκόφρονι, ἅρματι. Posterius exemplum depromptum est e Codice Eudociæ (p. 290. ed. Villois.) Notandum est, syllabam $\overline{\tau\alpha}$ in certis quibusdam codicibus sic compendiose scribi, ut in vocibus καταφανὴς, τοιαῦτα ῥήματα, μεταστῆναι, (ἀπὸ ex. 4) μεταφορᾶς (τῶν (ex. 3) τεθνηκότων), ἐπιθυμοῦντα. e Cod. S. Germ. 249.

De confusione signi tachygraphici syllabæ $\overline{o\nu}$ cum literá *Alpha* vide infra hanc syllabam.

Alpha connexum cum *Gamma* eo compendio pingitur, quod ostendunt voces τραγικὸν, πρᾶγμα, τραγικὰ, τραγῳδοποιῶν, ἀναγκάζεται.

Magna similitudo his literis intercedit cum syllabâ $\overline{\epsilon\gamma}$ (conf. voces μεγέθει et ἐγχειρεῖ).

De syllabâ $\overline{\alpha\gamma}$ hoc addo, interdum similem esse syllabæ $\overline{\epsilon\iota}$ tali compendio scriptæ, quale videbis in voce ἔχει. Quod si quis hoc ει cum literâ sequente connecteret, $\overline{\alpha\gamma}$ et $\overline{\epsilon\iota}$ non possent nisi sensu verborum dignosci.

Quo compendio scribuntur $\bar{\alpha}$ et $\bar{\epsilon}$, ubi adherent literæ $\bar{\gamma}$, eodem formata videas, quando connexa sunt cum literâ $\bar{\chi}$. Vide voces τραχήλου, διαχέον, ἀχάριστον, τέχνην, ἔχει (ex. 2), quæ voces omnes e Codice Longini 2046. sumptæ sunt. vide etiam ἐντρεχεῖς et ἐπέχει.—Compara cum exemplis syllabæ $\overline{\alpha\chi}$ citatis voces σχῆμα et ὁλοσχερῶς.—Facilius distinguas $\overline{\alpha\chi}$ et $\overline{\sigma\chi}$ in Codice Ven. Hom. A. Vide voces inde sumptas συναχθόμενος Ἀχαιοῖς. Voces Ἀθήναζε et Δημοσθένης, e Codice S. Germ. 345. hoc consilio repræsentari jussi,

ut lectores, quid similitudinis sit inter connexas literas $\overline{\alpha\theta}$ et $\overline{\sigma\theta}$, facile intelligant.

De compendio literarum $\bar{\alpha}$ et $\bar{\varepsilon}$ in syllabis $\overline{\alpha\zeta}$ et $\overline{\varepsilon\zeta}$, $\overline{\alpha\xi}$ et $\overline{\varepsilon\xi}$, dicam infra, ubi de syllabâ $\overline{\iota\nu}$ agam.

Epsilon.—Hæc vocalis, juncta aliis literis, e. c. *Kappa, Lambda, Mu, Nu,* τῷ Ο μικρῷ, *Pi, Rho,* etc. solo hamulo significatur, quem οἱ ταχυγράφοι illis literis addiderunt. Vide voces δέκα, ἐκινήθη, ἑκάστῳ, μέλαν, μέμψεως, μὲν (ex. 2), λέοντα, περατωθέντα, e cod. 2423. et Etymol. Sorbon. Hic hamulus cùm oculos facile fugiat, causa apparet, cur interdum $\bar{\kappa}$ loco syllabæ $\overline{\varepsilon\kappa}$ scripserint.

Ubi voces καὶ et ἐκ confunduntur, prior tali compendio scripta erat, quale ex. 8 ostendit, accentusque ei proprius contingebat literam *Kappa.*

Hamulus ille literam $\bar{\varepsilon}$ significans interdum non supra lineam prominet, sed in ipsâ lineâ pictus reperitur. Vide voces μένει, ἐνέργειαν, ἐν (ex. 2) (τῇ (ex. 2) ψυχῇ) e cod. 2423. Hic codex, apographum Gregorii Corinthii tenens, me etiam propterea advertit, quia syllabam $\overline{\varepsilon\nu}$ hìc et illìc ita scriptam habet, ut eam, nisi attendas contextum verborum, curesque spiritum, pro literâ *Kappa* habere possis. Vide voces ἐν (ex. 3) τοῖς (ex. 5), καὶ (ex. 1) ἐν (ex. 4) μὲν (ex. 4) τῇ (ex. 3), γένει ἐνδόξῳ.

Iota interdum duobus punctis significatur juxta se pictis, quæ puncta librarii certis quibusdam literis, veluti $\bar{\sigma}$, $\bar{\tau}$ aliisque, superscribebant. Vide supra *Alpha.*

Nu.—Lineola imposita vocali, quæ in fine vocis legitur, plerumque significat *Nu:* sed etiam *Alpha* significare potest. Vide supra *Alpha.*—Lineola significans $\bar{\nu}$ frequentissime occurrit iis in vocibus, quæ in fine linearum (versuum) scriptæ sunt. Initio vocum aut in mediis vocibus lineola vocali imposita non significat $\bar{\nu}$, nisi quando, voce ob lineæ exitum in partes suas dissectâ, vocalis cum lineolâ lineam claudit. Sic e. c. in Cod. Palat. 398. fol. 191. verso ᾽ᾱ-τέχειν pro ἀντέχειν, fol. 199. verso Πολυφō-τη pro Πολυφόντη, aut in

Scholiis Codicis Hermogen. 1983. fol. 136. recto συμφέρο̄-τι, pro συμφέροντι.—*Alpha* et *Nu* legentes interdum confuderunt, quando litera impositam habens lineolam minus distincte scripta omninoque (ut e. c. A et Δ) ad errores gignendos prona esset. Sic in Scholiis Platonicis p. 186. ediderunt καὶ παρὰ τὴν ΛωτοφαγίΑΝ νῆσον, ἀνέχουσαν τῆς χώρας κ.τ.λ. Sed codex 1807, unde hoc Scholium sumptum est, dat ΛωτοφαγίΔΑ. vide tab. 1.

Rho.—*Rho* sequens post *Phi* cum hoc sic connectitur per notam tachygraphicam, uti ostendunt voces φρένας, φρὶξ, σφραγὶς, φράσον, e Codicibus Eudociæ et Pseudoherodiani Epimer. Literas φ̄ρ̄ tali modo connexas interdum habuerunt pro solo φ̄. v. Epist. p. 186.

Tau.—*Tau* post π̄ sæpe indicatur minutâ lineolâ. Vide v. καλυπτόμενα, προσπτάντας, πτεροείμονες.

Omega.—Ad hanc vocalem indicandam tachygraphi notâ usi sunt, quæ simillima est circumflexo typothetis nostris usitato, literæque antecedenti superscribitur. Vide voces περατωθέντα, καταβῶμεν (e Cod. Hermog. 1983), τῷ (ex. 2) πολέμῳ ὁμολογῶ (e Cod. S. Germ. 249). Jam cum ductus significans literam ᾱ interdum sic formetur, ut in vocibus ἄστρων et αὐτὸν (e Cod. Longini 2046), coll. vv. ἐγγυτέρω et κάτω: factum est, ut ᾱ et ῶ commutarentur.

Interdum notam illam tachygraphorum similem nostro circumflexo plane neglexerunt, ideoque omiserunt vocalem ω̄, ubi legi debebat.

In *recentiorum temporum* codicibus nota tachygraphica syllabæ ω̄ν̄ similis est circumflexo admodum grandi nostrorum typorum. Vide e. c. ἁρμάτων, πρεσβυτέρων, ἀδελφῶν, σωματικῶν. Hanc ob causam, qui conferebant *vetustos* codices, interdum notam significantem *Omega* (῀) habebant pro compendio syllabæ ω̄ν̄.—Compendium indicans *Omega* interdum habitum est pro accentu gravi.

b. SINGULARUM SYLLABARUM.

Compendiaria scriptio singularum syllabarum plerumque et ex regulâ sic fieri solet, ut nota tachygraphica antecedenti literæ superscribatur. E. c. syllaba ῶν in voce βασιλεύων sic est efficta, ut ejus compendium super εῦ scriptum appareat. Pari modo scribæ usi sunt compendiis plurimarum aliarum syllabarum, pro quibus tachygraphi notas peculiares excogitarunt. Sunt tamen inter has notas tachygraphicas, quæ passim non tantum *superscribantur*, sed etiam adscribantur sive in ipsam lineam immittantur. Hæc ratio est variarum confusionum, ignorata illa multis, quorum in manus non venit magnus numerus codicum. Hujusmodi syllabæ sunt ας, v. ποιᾶς; εν, v. ἐνταῦθα; ως, &c. Hìc et illìc nota tachygraphica superscribitur simulque connectitur cum literâ antecedente. Vide φασὶν (ex. 1), κατὰ (ex. 4) στέρησιν, ubi priorem vocem legerunt ϑρας, plane negligentes syllabam ιν connexam cum antecedente σ. Vide etiam voces ϑηλυκῶς, γραμμικῶς, et συνεχῶς; pro συνεχῶς Villoisonus dedit vocem minime Græcam συνεχθῶς, quippe ductum rotundum in alterâ parte literæ χ habuit pro compendio literæ ϑ, cujusmodi ϑ sic connexum cum literâ χ revera aliis in vocibus reperitur. Vide ἐχθραὶ, e Cod. Vatic. 305. Villoisonus ad Apollon. Lexic. Homeric. longum dedit catalogum signorum tachygraphicorum singularum syllabarum, quem *Tabulam Terminationum* propterea, ut puto, inscripsit, quia hæc signa in Cod. S. Germ. 345. Apollonium tenente compendiariæ scriptioni syllabarum *finalium* inserviunt. Sed ne quis ideo credat, veteres librarios his signis tantum ad compendia finalium syllabarum usos esse: nam ipsa illa signa, quæ Villoisonus explicavit, haud raro obtinent in mediis vocibus, adeoque initio vocum. Vide voces ἐνταῦθα, τάλαντα, προσυπακουστέον, μάλιστα, μαρτυρεῖ, ἡ πρεσβύτις, e Cod. S. Germ. 249.

1. Syllabæ αι.—Hanc syllabam in scripturâ et unciali et minusculâ significat uncinus, qui additur literæ antecedenti porrigiturque infra lineam. v. voces καὶ (ex. 12. 20), δορυφοροῦσαι, φλυαρῆσαι, ῥαψῳδῆσαι, ὑπακοῦσαι.

a.) In Scholiastâ Platonico, p. 181. pro voce ἡγήσαιτο, neglecto altero *Eta*, legerunt ἡγοῦντο. v. infra syllabam ουν. E contrario in Etymologico Sorbon. hæc leguntur: τὸ (ex. 1) γὰρ (ex. 3) βαι βῶν λέγουσιν (οἱ Δωριεῖς). Βαι vox est sensu carens. Sed Dorienses dicebant βῶν pro βοῦν. Nemo igitur dubitet, librarium pro αι habuisse, quod legendum fuit ουν.

b.) Syllaba αι post literam δ habet, e. c. in Codice Etymolog. Sorbon., nonnihil similitudinis cum literâ ρ, id quod lectores facile intelligent, si nomen Δαίδαλος cum verbis δρῶ et ἔδραμον comparaverint. Hâc opportunitate invitatus moneo, *Eta* in eodem Codice Sorbon. interdum eodem plane ductu pingi, quo αι, ac præcedente δ, perinde ut illam syllabam, cum literâ *Rho* confundi posse. Vide voces σεσηπὸς, ἔχρηζεν, ἀΐδηλος καὶ (ex. 16) ἀρίδηλος, Δημήτηρ ἡ (ex. 5) γῆ τουτέστι δήμου μήτηρ.

c.) Ubi pro syllaba αι legeretur copula καὶ, hujus forma ea librariis imponebat, quam cernere licet in vocibus ὡς καὶ, δὲ καὶ, ἀγαθὸς καὶ (βοηθὸς), &c., e Cod. Marc. Hom.

d.) E comparatione vocum Τίμαιος ἐκ (ex. 1) Λοκρῶν οἶμαι (e Cod. Plat. 1801), et εἴργεσθαι, μαινόμενος, στηριζόμενος (e Cod. S. Germ. 345), lectores facile intelligent, εν compendiose scribi ut αι, neque harum syllabarum commutationem mirabuntur.—In Phrynicho MS. dat Codex S. Germ. Ἀράμαιον (omnibus literis plene distincteque scriptis) φέρειν· ἀττικὴ ἡ (ex. 1) σύνταξις δὲ (ex. 6) εἰπεῖν (ex. 1) ἄραντα. Corrigo ἀράμενον.—Voces ἐβίασεν μου τὴν (ex. 5) γυναῖκα sumptæ sunt ex Antiatticista S. Germ. MS.—Uncinum illum significantem εν aut αι passim in legendo neglexerunt.—Vox κτάμεναι est e Cod. Ven.

Syllaba αι post τ ταχυγραφικῶς sic scribitur, ut ostendunt voces λέγεται (ex. 1), μέμνηται, γίνεται (ex. 2), αἴσθηται e Cod. S. Germ. 345. Si ται superscribitur, simile fit compendiose scriptis syllabis τικος, finalibus illis classis cujusdam adjectivorum; quodque modo commemoravi αἴσθηται, in diverso contextu verborum legi potest αἰσθητικός. Voces λέγεται (ex. 3) διαφέρειν sumptæ sunt e Schol. Plat. p. 165.

Vox γίνεται passim confusa est cum indefinito pronomine τινές.

Verba ἡ (ex. 6) ὀλιγαρχία γίνεται (ex. 4) δημοκρατία sumpta sunt e Schol. Plat. 1807: verba ἦσάν (ex. 1) τινες (ex. 2) τιμιώτεροι e Cod. S. Germ. 249. Quod si, ut nonnunquam fit, in voce γίνεται omittitur *Tau* cum uncino significante αι, et in voce τινὲς superscripta syllaba ες, pene omne harum vocum discrimen redit ad literas tam facile commutabiles Γ et T.

Addo, syllabam αι in unciali scripturâ interdum sic pingi, ut ostendunt voces πολιτεῖαι ἐπαινεταὶ, e Cod. Plat. 1807. Eadem nota passim superscribitur.

De commutatione syllabarum αι et ες vide infra syllabam ες.

2. Syllabæ αις.—In vetustis codicibus hæc syllaba sæpe non ταχυγραφικῶς, sed plene integrisque literis scribitur. In Cod. S. Germ. 345. ταῖς plerumque sic scriptum est, ut (ex. 2). In Cod. Platon. 1807. notam tachygraphicam syllabæ αις, quæ similis est duabus apostrophis juxta se positis, cum alibi, tum in voce χαλεπαῖς reperi. Nonnunquam αις perinde ut ες (vide infra hanc syllabam) unâ apostropho indicatur. Id propterea factum, quia αις et ες eodem sono pronuntiabantur.

3. Syllabæ αν.—Vetustissimam hujus syllabæ notam, quam in codicibus reperias, cernere licet in vocibus κοιλίαν, κόλλαν, ὅταν, e Cod. Plat. 1807; e quo etiam voces πρὸς (ex. 3), τὴν (ex. 4), πέσωσιν, sumptæ sunt.—Posterioribus temporibus angulosus ejus ductus magis deflectebat in rotundum, syllabaque αν sic pingebatur, ut in τάλαντα, πάντα, ἦσαν.

Si compendium syllabæ αν non superscriptum, sed juxta cæteras literas in ipsâ lineâ locatum esset, confundebatur nunc cum E ψιλῷ, nunc cum *Iota*, nunc cum O μικρῷ.

Cum E ψιλῷ. Conf. voces ἐκεῖσε et ἦσαν (ex. 2) e Cod. Palat. 398. et Paris. 133. Hinc lector intelliget, *Epsilon* tantum minutâ lineolâ, quam in medio habet, a compendio syllabæ αν differre.

Cum *Iota*, quando hæc litera sic pingitur, ut in voce ὑγιὲς, e Cod. S. Germ. 345.

Cum O μικρῷ. Nam fuerunt librarii, qui compendium syllabæ $\overline{\alpha\nu}$ cum literâ antecedente sic conjungerent, ut factum est in verbo ἐξεκόμισαν, e Cod. Vat. 305. Ita vero $\overline{\alpha\nu}$, nisi series orationis repugnet, cum $\bar{o}$ facile potest confundi. Denique notandum est, librarium Codicis S. Germ. 249. notam syllabæ $\overline{\alpha\nu}$ etiam ibi ponere, ubi $\overline{\alpha\mu}$ scribere vult. Vide verbum λαμβάνουσι e loco codicis τινὲς (ex. 1) κοινῶς αὐτὸ λαμβάνουσι, itemque verbum ἐλάμβανεν. Contemplanti hæc exempla uni amicorum meorum non improbabile videtur, veteres $\overline{\alpha\nu}$ et $\overline{\alpha\mu}$ eodem sono pronunciasse.

4. Syllabæ $\overline{\alpha\rho}$.—Compendium hujus syllabæ lector jam habet cognitum e voce μαρτυρεῖ. In voculâ γὰρ sic pingitur, ut apparet in ex. 2. e Cod. S. Germ. 249. Posterioribus temporibus nota hæc formam induebat paulo magis rotundam, ut in ex. 3. e Cod. Etym. Sorbon.

5. Syllabæ $\overline{\alpha\varsigma}$.—Compendium hujus syllabæ in codicibus vetustissimis et recentissimis idem est. Vide ποιᾶς, δαπάνας et πολιτείας (ex. 2) e Cod. Platon. 1807. ἐκτείνας τὰς ὀργὰς e Cod. S. Germ. 345. ζηλώσαντας ex Etymol. Sorbon. Ultima vox ostendit quomodo librarii compendium syllabæ $\overline{\alpha\varsigma}$ cum literâ antecedente conjunxerint. In χρήσασθαι hoc compendium mediâ in voce positum est.

Si compendium syllabæ $\overline{\alpha\varsigma}$ tam pusillum est, ut in vocibus τὰς ὀργὰς, multum habet similitudinis cum compendio syllabæ $\overline{o\upsilon}$. Vide vocem προσυπακουστέον. Hæc causa est cur $\overline{\alpha\varsigma}$ et $\overline{o\upsilon}$ sæpius commutentur.

Præterea monendum, scribam Codicis Apollonii Dyscoli (conf. voces ὧδε, τοιόσδε, ὅπου γε, εἶλε, ἥρπασε, ὅτε (ex. 2)) *Epsilon*, inprimis post, δ, λ, σ, τ etc. sic pinxisse, ut notam tachygraphicam syllabæ $\overline{\alpha\varsigma}$ referat. Hinc intelligitur causa cur $\bar{\varepsilon}$ et $\overline{\alpha\varsigma}$ confusa sint. Vide πέντε, uti scribitur in Cod. S. Germ. 345. in Aristide, T. II. p. 465, perperam editum πάντας.

6. Syllabæ $\overline{\varepsilon\iota}$.—Hujus jam satis habuimus exemplorum in vocibus ἐκείνης, λαθεῖν (ex. 2), λαβεῖν, λαθεῖν (ex. 1), ἱστορεῖ, καταριθμεῖ, εἶχε τῷ. Interdum $\overline{\varepsilon\iota}$, etsi non positum in fine lineæ, παραλόγως pingitur ductu multo grandiore quam

cæteræ literæ (conf. vocem ἐνέργειαν): interdum sic, ut in ἐπεὶ (ex. 2) e Cod. Vatic. 305. aut ut in εἰρήνης et εἶναι (ex. 1) e Cod. Paris. 3017. ubi, si apex superior in oculos non incurrit, simile est notæ ȣ; quâ re factum, ut ει et ου commutarentur. Postrema nota syllabæ ει refert etiam literam τ, prout hæc passim scribitur in cod. 2423. e. c. in vocibus ἀντὶ (ex. 1) et αὔτη (ex. 1).

Recentiores Græci syllabam ει sæpissime sic scribunt, ut longus calami ductus, non infra lineam porrigatur, sed sursum assurgat: unde nascitur similitudo ejus, nunc cum notâ syllabæ ας in ipsam lineam immissâ, nunc cum literâ *Delta*.

7. Syllabæ ειν.—Hæc syllaba in vetustissimis codicibus compendiose sic scribitur, ut nota tachygraphica syllabæ ην bis deinceps ponatur. Vide voces νοεῖν, ποιεῖν, εἰπεῖν (ex. 2), γινώσκειν, e Cod. Hermog. 1983. e quo sumptæ sunt etiam voces πῶς et δεῖ.

Postea librarii syllabam ειν ita pingebant, ut in εἰπεῖν (ex. 3), ὑγιαίνειν.—In Cod. S. Germ. 345, itemque in Cod. Ven. Homer. A. quorum ductus satis similes sunt, ειν passim plane eodem compendio pingitur, quo ην aut εν. Vide voces φασὶ (ex. 1) μὴ (ex. 3) δεῖν λέγειν (ex. 1). e Lexic. S. Germ.—Causa, cur syllabæ ειν, ην et ιν iisdem notis scribantur, non alia est, quam quod eodem sono pronunciatæ sunt.

8. Syllabæ εις.—Compendium hujus syllabæ ostendunt voces διηγήσεις, πίστεις, Δωριεῖς, e Cod. Hermogen. 1983. et Etymolog. Sorbon. Interdum notam syllabæ ης usurparunt pro syllabâ εις, quod ambæ syllabæ eodem sono pronunciarentur: id quod modo vidimus in syllabis ειν et ην.

9. Syllabæ εν.—Vetustissimam notam hujus syllabæ cernere licet in vocibus ἐλάμβανεν et ἐνταῦθα. Postea librarii, ut in syllabâ αν, angulosum ductum faciebant rotundum: quapropter syllabæ εν et ας eodem compendio scriptæ sunt, nec dignosci possunt, nisi diligenter attendas seriem orationis. Vide voces ἐντεῦθεν, οὐδὲν (ex. 2), ἑστιαθὲν, εἶπεν e Cod. S. Germ. 345. Ultimum exemplum, prout contextus verborum poscit, legi potest tam εἶπεν quam εἶπας.

Etiam $\overline{\epsilon\nu}$ et $\bar{\epsilon}$ eodem ductu pingi possunt. v. quæ de formâ literæ $\bar{\epsilon}$ in syllabâ $\overline{\alpha\varsigma}$ dixi. Seculis ante inventam artem typographicam proximis syllabam $\overline{\epsilon\nu}$ sic pinxerunt, ut in vocibus μὲν (ex. 1), οὐδὲν (ex. 1), εἴπωμεν, e cod. 133, ac passim sic, ut in voce ἔζωσεν, ubi $\overline{\epsilon\nu}$ simile est literæ *Alpha.*

Alia nota tachygraphica syllabæ $\overline{\epsilon\nu}$ multum similis est literæ *Eta.* Vide exemp. 4. vocis τῇ, et ex. 2. vocis μένων, e Cod. Paris. 133. Ideo confusa μὴ et μὲν.

10. Syllabæ $\overline{\epsilon\rho}$.—*Primum* compendium hujus syllabæ, de quo jam Montefalconius Palæogr. p. 345. s. egit, vide in vocibus καθύπερθεν et περισσῶς e Cod. S. Germ. 345. Hæc nota similis est literæ *Iota* infra lineam productæ: quapropter $\overline{\epsilon\rho}$ et $\bar{\iota}$ confusa sunt.

Secundum compendium frequens est in Codice Hermog. 1983, nunc superscriptum, nunc adscriptum. Vide voces ἐπείπερ, ὅπερ, διόπερ. Si pusillus calami ductus accedat, ex hoc $\overline{\epsilon\rho}$ fit ȣ. Ideo toties commutatæ sunt syllabæ $\overline{\epsilon\rho}$ et $\overline{o\upsilon}$. Verbum περσίζειν, primùm e scripturâ Codicis Hermog. repræsentari jussi, deinde e Cod. S. Germ. 249, ubi syllaba $\overline{\epsilon\rho}$ supra et infra lineam porrigitur.

Tertium compendium habet vox ὥσπερ (ex. 1) e Cod. Paris. 1741.

11. Syllabæ $\overline{\epsilon\varsigma}$.—Nota tachygraphica hujus syllabæ similis est apostropho, cui interdum duo puncta superscripta sunt, ut ab apostropho veri nominis distinguatur. Conf. voces ἐπιτείναντες, πρεσβύτις, τινὲς, πυρῶδες et λαβόντες e Cod. Vatic. 305, cujus scriba apostrophum productiorem pinxit, quo notam syllabæ $\overline{\epsilon\varsigma}$ distingueret a compendio syllabæ $\overline{\iota\nu}$. Vide voces πράγμασιν et φύσιν. Jam non mirum, ubi deessent duo illa puncta, ibi librarios notam syllabæ $\overline{\epsilon\varsigma}$ interdum habuisse pro verâ apostropho et hanc syllabam plane omisisse. Haud raro nota syllabæ $\overline{\epsilon\varsigma}$ in ipsam lineam immittitur. Sic factum in vocibus ἰόντες et ἐξελόντες e Cod. Platon. 1807. Nonnunquam hoc $\overline{\epsilon\varsigma}$ male legerunt habueruntque pro syllabâ $\overline{\alpha\iota}$. Vide κολάζοντες, e cod. 1807.—In participiis nonnunquam litera $\bar{\tau}$ ante $\overline{\epsilon\varsigma}$ sic compendiose pictum omittitur. Vide exempla ἄρσαντες, ἁρμόσαντες ex Etymolog. Sorbon. Tale $\overline{\epsilon\varsigma}$ illatum in ipsum textum prorsus

simile est compendio particulæ δὲ, cum eâque confunditur: vide voces θέντες, εἰπόντες ἀναγινώσκοντες, ῥήτορες. Vide etiam infra v. Ἀππιανὸς, et de similitudine inter ες et ευ sequentem articulum.

12. Syllabæ ευ.—Hæc diphthongus in unciali scripturâ passim sic pingitur, ut in voce ἐπιτηδεύων. In minusculâ scripturâ codicum seculi noni decimique ευ talem formam habet, qualem ostendunt voces τεῦξε et εὐρώπη (e Cod. Palat. 398), satisque prope accedit ad ες. Vide voces δεσμὸν et ἔσχεν, e Cod. Palat. et τὰ (ex. 1) δεύτερα (ex. 1), ἐς τὴν (ex. 1). Posterioribus seculis ευ sic formatum est, ut in vocibus βασιλεύων et εὕρηνται, unde orta confusio cum literâ *Alpha*. Librarius Cod. Apoll. Dyscoli 2548 *Theta* sic pingit, ut ευ referre videatur. Conf. voc. συνθέτους; et ευ in loco καὶ (ex. 17) τὸ (ex. 1) ευ τῆς (ex. 4) οὐσίας, e Cod. Paris. 2423.

13. Syllabæ ην.—Notam tachygraphicam hujus syllabæ discas e vocibus τὴν (ex. 4) Ἀχιλλέως τιμὴν (ex. 2). Vide etiam διαστολὴν, ex Etym. Sorbon. et τὴν (ex. 2) ἱερωσύνην, εἰς Λεόντιον τὴν (ex. 3) ἐρωμένην, e Cod. Vatic. 305.

Porsonus ad Hom. Odyss. Λ. 58: inquit, "Sciendum est, " ᾱ cum superscribitur in fine vocis, valde similem esse con- " tractioni ei, quâ significantur ην et ιν. πᾶσα igitur corrup- " tum est ex πᾶσιν, idque ex ποσσιν." vide voces πᾶσα (ex. 1) et πᾶσιν ex mente viri eximii.

Si nota syllabæ ην, ut e. c. in vocibus τὴν (ex. 5) et αὐτὴν connectitur cum literâ antecedente, simulque pars superior angulosa, id quod calamo velociter currente semper fieri solet, ductu pingitur rotundo: ην facile habeas pro ου, et versâ vice; nam ubi αἱ καταλήξεις vocum ταχυγραφικῶς fiunt compendii, interdum pro syllabâ τοῦ solum τ̄, adjuncto circumflexo, scribitur, ut factum e. c. in voc. τυφλοὶ γίνονται ὑπὸ (ex. 4) τοῦ (ex. 4) παγετοῦ, e Cod. Vatic. 305.

14. Syllabæ ης.—Notam hujus syllabæ tachygraphicam vidimus in ἀμοιβῆς et in καταφανής. Hæc ejus forma antiquissima est. Recentiorem formam videbis in εἰρήνης, in πλήρης, τῆς (ex. 7) γῆς, junctamque circumflexo in τῆς (ex. 6) ἀπειλῆς, e Cod. Paris. 133.

Jam supra (num. 8) monui, εις nonnunquam sic scriptum esse, ut ης, vide voces οὐδεὶς φθόνος ἔσται e Cod. S. Germ. 249. Compendium syllabæ ης passim pro apostropho habuerunt eumque confuderunt.

Codicem Etymologici Sorbon. evolvens hoc vidi proprium illius libri, scribam ejus passim compendio syllabæ ης pro simplici η usum esse. Vide μεταφορικὴ ἡ (ex. 5) λέξις (ex. 1) et αἰδῶς καὶ (ex. 13) αἰσχύνη διαφέρουσιν.

15. Syllabæ ιν.—Vide notam syllabæ ην, cui si duo puncta superscribuntur, nascitur nota syllabæ ιν. conf. vocem τάξιν. Sæpissime autem duo illa puncta omittuntur, atque ιν et ην solâ serie orationis dignosci possunt. De notâ syllabæ ιν posterioribus temporibus usitatâ, quam interdum in lineam ipsam immiserunt, consulat lector vocem ἔκπληξιν, ex Etymol. Sorbon. In Codice Vatic. 305. nota syllabæ ιν sic efficta est, ut aliis in codicibus compendium syllabæ ες. Vide voces πράγμασιν, φύσιν, κατὰ (ex. 3) διάλεξιν τῆς (ex. 8) φράσεως. Ultimum exemplum sumptum est e scholiis ad Nicandri Ther. v. 7, ubi editiones melius habent κατὰ διάταξιν τῆς φράσεως.

Scilicet scriba codicis 305. τ pro λ, αξ pro εξ habuit. Hæ quidem syllabæ per ignorantiam legentium sæpius confusæ sunt; vide voces ἀξιώσεως, ἐφυλάξατε, ἐξηγεῖτο, ἑξῆς e Cod. Hermog. 1983. Eodem modo confusæ sunt syllabæ αζ et εζ, quippe discrimen inter eas intercedens multos fugit. Vid. voces ἀζήμιος et πιεζόμενος e Cod. Hermog. 1983. In Suidâ v. αἱμασιὰ dederunt ἥρπαζον pro ἅρπεζον. Inspice hoc ἅρπεζον, e Cod. S. Germ. 345.

16. Syllabæ ις.—Nota hujus syllabæ a compendio syllabæ ης non differt, nisi duobus punctis superscriptis. Confer vocem διήγησις e Cod. Hermogen 1983. Sed illa puncta sæpissime desunt, utque ις et ης dignoscas, in solâ orationis serie situm est. In Scholiis ad Il. E. 299. Villoisonus legit ἀλκῆς, quod ἀλκὶς legendum erat. v. Append. p. 30. Inspice voces ἀπὸ (ex. 2) τοῦ (ex. 1) ἀλκὶς αἰολικοῦ. Recentiorum temporum notam tachygraphicam syllabæ ις ostendunt voces τρὶς et πολλάκις (ex. 2), e Cod. Vat. 305. Superscriptum ις librarii nonnunquam neglexerunt.

17. Syllabæ οι̅.—Vetustissimam notam hujus diphthongi ostendunt voces λοιπὰ, e Cod. Hermog. 1983. et κοινῇ e Cod. S. Germ. 345: recentiorem, voces μέντοι, ἀνευρίσκοι e Cod. Vat. 305. et ποιεῖται e Cod. Paris. 2551. Ubi syllaba οι̅ non per compendium scripta esset, interdum confundebatur cum literâ *Alpha* sic effictâ, ut in ἀναιρῶ ex Etymol. Sorbon. vide voces ἄλλα (ex. 2) et ἄλλοι.

18. Syllabæ οις̅.—In Codicibus Platon. 1807. Palat. 398. et S. Germ. 345. hæc syllaba per compendium sic scribitur, ut docent voces τοῖς (ex. 1) μὲν (ex. 3) οὖν (ex. 2) πολλοῖς, τοῖς (ex. 2) κοινοῖς, τοῖς (ex. 1) ἐχθροῖς. In ultimo exemplo nota tachygraphica syllabæ οις̅ pæne congruit cum lineolâ superscriptâ, quæ significat ν̄ aut ᾱ. Posterioribus temporibus, cum angulosus ductus in rotundum transiret, syllaba οις̅ sic pingebatur, ut in vocibus τοῖς (ex. 4) ἐχυροῖς χώροις, σπληνικοῖς, τοῖς (ex. 4) ποταμοῖς e Cod. Vatic. 305. Hæc etiam nota, quando in membranis semievanida esset aut oculos minus feriret, nonnunquam pro apostropho habita cum eâque confusa est.

19. Syllabæ ον̅.—Hujus syllabæ duplex compendium est. Nam indicatur aut lineolâ superscriptâ, quæ ex regulâ duplo longior est accentu gravi typothetarum nostrorum: conf. φράσον et ἀράμενον: aut superscripto ο̄, quod etsi plerumque compendium est syllabæ ος̅, tamen a nonnullis librariis etiam ad significandam syllabam ον̅ usurpatur. Priorem notam sæpe habuerunt pro ipso accentu gravi, ideoque syllabam ον̅ neglexerunt, ubi legi eam oporteret. E contrario syllaba ον̅ vocibus passim intempestive addita est, quod accentus gravis pro notâ ejus tachygraphicâ haberetur.—Si lineola illa syllabam ον̅ significans, ductu calami potius recto quam obliquo scribitur, id quod tachygrapho, lineas ad amussim non exigenti, facile accidit, non mirum, si quis eam habeat pro lineolâ significante ᾱ, legatque ᾱ, ubi ον̅ legi oporteat. Sic legerunt οἷα pro οἷον, v. Epist. p. 208. Neque desunt exempla erroris contrarii.—Posterior nota syllabæ ον̅ non rara est in Codice S. Germ. 345. vide ἄμαθον et σέβας (ex. 1) δέ σε θυμὸν (ex. 1) ἱκέσθω.

20. Syllabæ ος̅.—In syllaba ον̅, de quâ modo egi, dictum

est, notam tachygraphicam syllabæ $\overline{o\varsigma}$ esse *Omicron* superscriptum; quâ notâ cum nonnulli librarii pro syllabâ $\overline{o\nu}$ usi sint, non mirum, passim $\overline{o\nu}$ loco syllabæ $\overline{o\varsigma}$ lectum esse. Interdum hoc $\bar{o}$ cum literâ cui superscriptum est connectitur, e. c. in voce σύνδεσμος (ex. 1) e Cod. Apollon. Dyscoli. Alius modus scribendi syllabam $\overline{o\varsigma}$ apparet e vocibus ἔμπειρος et ἀσκούμενος e Cod. S. Germ. 345. Recentiorum temporum notam syllabæ $\overline{o\varsigma}$ vox ἄπειρος ostendit.

Cum $\bar{o}$ et $\bar{\upsilon}$ facile commutentur, factum est ut etiam $\overline{o\varsigma}$ et $\overline{o\upsilon}$ confunderentur: nam posterior syllaba, id quod articulus proxime sequens docebit, ταχυγραφικῶς significatur superscripto $\bar{\upsilon}$.

Si syllaba $\overline{o\varsigma}$ non ταχυγραφικῶς, sed integris scribitur literis, et *Sigma* unciale (C) ad literam $\bar{o}$ tam prope admovetur, ut illam contingat, tale $\overline{o\varsigma}$ persimile fit literæ *Alpha:* quæ causa est, cur $\overline{o\varsigma}$ et $\bar{\alpha}$ non raro commutata sint. Hujus confusionis rationem primus, quod meminerim, aperuit Porsonus ad Euripid. Hecub. v. 788.

21. Syllabæ $\overline{o\upsilon}$.—Quâ adhuc utimur notâ hujus diphthongi (ȣ), propius si intuearis, nihil aliud esse intelligas, quam $\bar{o}$ habens superscriptum $\bar{\upsilon}$. Conf. vocem δούλους e Cod. Platon. 1807. Simili compendio pingitur litera $\bar{\upsilon}$ in diphthongo $\overline{\varepsilon\upsilon}$, ut apparuit e voce ἐπιτηδεύων. Hoc $\bar{ȣ}$ in scripturâ tam unciali quam cæterâ occurrit, passimque tam grande est, ut supra et infra lineam porrigatur, vide vocem οὐδὲν (ex. 1).

Non minus frequens, quam illud $\bar{ȣ}$, alia est nota jam in syllabâ $\overline{o\varsigma}$ commemorata, quando, $\bar{o}$ plane omisso, solum $\bar{\upsilon}$ antecedenti literæ superscribitur. Confer voces οἴκου, τοῦ (ex. 2) Ἀνδοκίδου e Cod. S. Germ. 345. et ἀκριβῶς σου. Tale $\overline{o\upsilon}$ nunc cum $\overline{\alpha\varsigma}$, nunc cum $\overline{o\varsigma}$ confuderunt.

Denique $\bar{\upsilon}$ superscriptum, ubi per errorem scribæ invasit locum literæ $\bar{o}$, etiam solam vocalem $\bar{o}$ significare potest: ut non semper de syllabâ $\overline{o\varsigma}$ cogitandum sit.

22. Syllabæ $\overline{o\upsilon\nu}$.—Hæc syllaba in scripturâ et unciali et cætera ταχυγραφικῶς sic pingitur, ut voces τοῖς (ex. 1) μὲν (ex. 3) οὖν (ex. 2) πολλοῖς et ἐποιοῦντο, διῄρουν, καλούντων, ex Etymol. Sorbon. ostendunt. Rarissime nota hujus syllabæ

superscribitur, ut in voce ἤγουν (ex. 1), e Cod. S. Germ. 345. fol. 161. in recentiori scripturâ marginis exterioris.—In unciali alphabeto ουν parum discrepat e compendio syllabæ CAI. Vide vocem ἡγήσαιτο, pro quâ male legerunt ἡγοῦντο. In minusculâ scripturâ ουν nunc syllabæ αι compendiose scriptæ, nunc literæ *Rho,* nunc notæ tachygraphicæ diphthongi ει simile est.

Syllabæ αι *compendiose scriptæ,* quando parva rotunditas compendii syllabæ ουν atramento expleta est. Hâc de causâ in Etymolog. Sorbon. βαι plene integrisque literis scriptum legitur pro βουν. Vide quæ supra in syllabâ αι (*a.*) scripsi.

Literæ Rho (ρ).—Sic in Apollonio, p. 26. Villois. Codex S. Germ. 345. dat καὶ (ex. 6) οὖν (ex. 4) οἵπερ τὸ (ex. 1) πάρος γε (Iliad. T. 42.) pro καί ῥ' οἵπερ κ.τ.λ. E contrario p. 40. legitur ἡ (ex. 1) δ' (ex. 1) ἐπεί (ex. 1) ῥ' ἄμπνυτο, (Iliad. X. 475.) pro ἡ δ' ἐπεὶ οὖν (3) ἄμπνυτο.—Codex Hesychii habet Ζωανηρές· ἀνὴρ πρὸς ζωὴν, quæ sic corriguntur: Ζωαρκές· ἀρκοῦν πρ. ζ. Nimirum vitiosum ἀνὴρ soli debetur errori perperam legentis genuinam vocem ἀρκοῦν. Nam ν et ρ, η et κ, denique ρ et ουν, plurimum inter se similitudinis habent, ideoque facile commutari possunt. Voces has, ἀνὴρ et ἀρκοῦν, secundum ductus scribarum decimi seculi, quo commutatio illa videtur facta esse, repræsentari jussi, ut lectores de similitudine earum ipsi judicent.

Notæ tachygraphicæ diphthongi ει.—E. c. ὠφελεῖται loco rectioris ὠφελοῦνται; ἐζήτει pro ἐζήτουν. E contrario legitur ἐστύγουν pro ἐστύγει, et συνεμάχουν pro συνεμάχει.

23. Syllabæ ους.—Vide voces τοὺς (ex. 1) λόγους. Nota hujus syllabæ nunc superscribitur, nunc adscribitur. Plura ejus exempla dant voces ἀγγέλους (e Cod. Paris. 133) τριχοφόρους (ἤτοι) χοίρους (e Cod. Vatic. 305) συμμάχους, κράτους e Cod. Paris. 1741: τοὺς (ex. 2) οἰωνοὺς e Cod. S. Germ. 345. Οἰδίπους ex Etymol. Sorbon. In Eudociâ Villoisonus vocis Ἡρακλέους syllabam postremam, ους, confudit cum ως, deditque Ἡρακλέως, quoties syllabam ους per compendium scriptam reperisset. Vide vocem Ἡρακλέους. E contrario in Eudoc. p. 99. legit φερωνύμους, cum deberet, id quod

codex habet, φερωνύμως.—De Codice S. Germ. 345. monere juvat, notam ejus tachygraphicam syllabæ ους formâ proxime accedere ad *Kappa* superscriptum, quod librarius usurpavit ad voces in ικος compendiose scribendas. Vide voc. ἑλκυστοὺς.

24. Syllabæ ων. —Vetustissimam notam hujus syllabæ discas e. v. Λοκρῶν e cod. 1807.—Posterioribus temporibus angulosus ductus mutabatur in rotundum, syllabaque ων sic pingebatur, ut ostendunt voces τῶν (ex. 2) τεθνηκότων, et τῶν (ex. 2) ξένων ἡγεμὼν, e Cod. S. Germ. 345. Hoc ων e. c. in minutâ hujus codicis scripturâ ita comparatum est, ut, si inverteris, notam syllabæ ου videre tibi videaris. Seculo decimo tertio et sequentibus nota syllabæ ων interdum ductu admodum grandi pingebatur. Vide voces βασιλεύων—τῶν (ex. 3) ἁρμάτων—denique πρεσβυτέρων ἀδελφῶν, σωματικῶν, e Cod. Paris. 133. In vocibus ἀδελφῶν et σωματικῶν circumflexus cum notâ syllabæ ων connexus est.

Tam in voce Λοκρῶν quam in verbis τῶν ξένων ἡγεμὼν nota syllabæ ων refert circumflexum, cujus vetustissimam formam angulosam in v. πολιτεῖαι recentioremque rotundam in v. ἐντεῦθεν et εἶπεν cernere licet. Hæc similitudo aut potius perfecta congruentia compendii syllabæ ων ac circumflexi in causâ fuit, cur librarii passim ων legerunt, ubi solus obtineret circumflexus, ideoque voces intempestive augerent syllabæ ων. Sic Cod. S. Germ. in Timæi Lex. Platon. dat p. 160, κοεινῶν pro κοεῖν, et p. 227, πυρώνων pro πυρῶν.

Si nota syllabæ ων tam grandis est ut in voce πρεσβυτέρων, haud raro fit, ut acutus, qui syllabæ est antecedentis, per illam notam porrigatur. Vide voces καλούντων Ὡρίων, βουκόλων e Cod. Vat. 305. Tale ων cum acuto pertranseunte simile est literæ χ superscriptæ, cum eâque confunditur, Alciphron. III. 43. ubi editiones recte dant Στρουθίων, sed cod. 2720 Στρούθιχος, id quod apparet ex accentu super ου scripto. Vide hoc ipsum Στρούθιχος, quod manifesto debetur errori perperam sic legentis. Sin acutus notam syllabæ ων non pertranseat, sed modo contingat, λ superscriptum te cernere opineris. Hæc causa mihi videtur diversitatis scripturæ Θέων et ϑέλει in Etymolog. M.

25. Syllabæ ῶς.—In Cod. Platon. 1807. et Palat. 398. hæc syllaba tali notâ scribitur, qualem ostendunt voces ἐτῶς, ἀλόγως, νεμήσεως. Sæpissime hoc ῶς in ipsam lineam immittitur. Vide ὡς (ex. 4) διαιροῦσα e Cod. Plat. 1807, ὥσπερ, ὥστε, ὡς (ex. 5) καταφρονῶν e Cod. S. Germ. 249, ὡς (ex. 1) καὶ (ex. 6) ἐν (ex. 7) ἀρχῇ e Cod. Paris. 1741. In minutâ scripturâ Codicis S. Germ. 345. ῶς sic pictum est ut in v. ἐμπείρος et δόσεως.—Xylander notam syllabæ ῶς in Cod. Palat. 398. habuit pro apostropho. v. Epist. p. 77.

Ὡς in scripturâ Cod. Platon. 1807, S. Germ. 249, aliorumque, simile est literæ *Eta* sic scriptæ ut in ὀξύτητα et προσθήκης e Cod. Hermogen. 1983. Hanc ob causam ῶς et ῆ commutata sunt.

Posterioribus temporibus ῶς sic scripserunt ut in v. καθὼς, ἕως (τῆς (ex. 6) ἡμέρας), ἀπαλῶς, πανηγύρεως, e Cod. Paris. 133, ὁμολογουμένως e Cod. Paris. 2423. Idem hoc ῶς, connexum cum antecedente literâ, videbis in vocibus θηλυκῶς, γραμμικῶς, συνεχῶς, et in φερωνύμως, ubi habuerunt pro syllabâ οῦς. Sæpissime ῶς cum καὶ confunditur, ac versâ vice, quandoquidem ambæ voces similibus pinguntur notis, ut docent ex. 2 et 3 vocis ὡς, et ex. 6 et 15 vocis καὶ.

Vide etiam voces in phras. καὶ (ex. 6) γὰρ (ex. 1) ὡς (ex. 3) ἀληθῶς ἔσται (ex. 1) ex Etymolog. Sorbon.—v. Gregor. p. 24. Voces ibidem citatas e Scholiis Venetis ad Homerum, φῶ, τὸ (ex. 6) φαίνω, ἀναδιπλασιασμὸς πεφάσσω, καὶ (ex. 6) πλεονασμὸς παιφάσσω, οἱονεὶ φανερῶ, ὡς (ex. 1) πταίνω, παπταίνω· πάσσω, πάλη, παιπάλη, tab. 1 repræsentantur.

c. INTEGRARUM VOCUM.

Horum compendiorum in codicibus hæc ratio est. Scriptâ literâ initiali, aut aliquot de prioribus literis, superscribitur litera de medio aut de fine sumpta, omittiturque ultima syllaba aut residua vocis pars, qui defectus ex sensu et serie orationis supplendus est. Hinc oritur longe maximus in legendis codicibus numerus difficultatum, quoniam tales tachygraphorum notæ ad certas quasdam regulas revocari vix possunt. Adde quod accentus, fidus ille dux viæ, inter-

dum omissus est: qui ubi in *hujusmodi* compendiis deest, haudquaquam ideo cogitandum de vocis corruptelâ.

Priusquam singulas voces percensere aggredior, de quarum compendiis in Epist. Crit. et in notis ad Gregor. dictum est, necessarium puto, ne quis in literis superscriptis erret, in antecessum generatimque monere, literam superscriptam pronuntiandam esse *post* eam, quæ infra scripta in ipsâque lineâ posita est. E. c. $\overset{\omega}{\sigma}$ significat, non $\overline{\omega\varsigma}$, sed $\overline{\sigma\omega}$: $\overset{\alpha}{\kappa}$ valet $\overline{\kappa\alpha}$, non $\overline{\alpha\kappa}$, etc. Hujus regulæ sunt aliquot, sed raræ exceptiones, ubi literæ contrario ordine pronuntiandæ sunt, e. c. in τὸ (ex. 2) et τοῦτο. Satis tamen frequenter librarii, quando utraque legendi ratio ad aliquid duceret, quod Græcum esset, per socordiam in canonem illum peccarunt. Inde orta est e. c. confusio vocum ἅμα et μάλα s. μᾶλλον. In priore voce $\bar{\alpha}$ in ipsâ lineâ positum et $\bar{\mu}$ superscriptum est: sed in posteriore contrarium obtinet, $\bar{\mu}$ in lineâ, $\bar{\alpha}$ supra eam posito.

Vide ἐπὶ (ex. 2) τέλει, et περί (ex. 1) τε πολιτείας, e Cod. Platon. 1807. Item ἀπὸ ($\overset{\pi}{\alpha}$) et παρὰ ($\overset{\alpha}{\pi}$). Vide ἀπὸ (ex. 3) τέλους, et παρὰ (ex. 4) τὸ (ex. 3) δρᾷν, ex Etymol. Sorbon. Item ὅτι et τὸ, maxime in unciali scripturâ. Indidem petenda ratio confusionis nominum ὄνομα et νόημα.

Vide ἡμεῖς δὲ (ex. 5) στίζομεν e Schol. Venet. ad Iliad. Δ. 14.

Si ibi, ubi aliquid superscribitur, una pluresve literæ aut syllabæ omittuntur, literæ vocis ei, quæ in ipsâ lineâ est postrema, *ex regulâ* lineola exigua addi solet, illius index omissionis. Vide hanc lineolam in voce compendiose scriptâ δηλωτικὸν, et in v. ἡμέρας et πλεονασμός. Sed hæc lineola a librariis sæpe negligitur: interdum vero etiam ibi pingitur, ubi non vera est literarum aut syllabarum omissio, sed modo compendium scribendi locum habet. v. voces οἴκου et Ἀνδοκίδου. Monui ad Gregor. p. 116, voces λέων et λέγων solâ lineolâ inter se discrepare.

Posterioribus temporibus talis lineola, qualem lectores e Cod. S. Germ. 345. cognitam habent, rarius usurpata est. In ejus locum ad significandas literarum syllabarumque omissiones successit calami tanquam ludibundi quidam ductus, qui adpenderetur consonanti ultimæ in lineâ ipsâ scriptæ,

ac supra se haberet literam superscriptam. Hujusmodi ductus propemodum cum omnibus consonantibus connectitur. Vide, præter ἅρματι, voces ἀνάβασις, θαυμάζοντα, διάθεσις, ἐνίκησαν, τῆς (ex. 1) πνευματικῆς γνώσεως, ξίφει, ἐκτύπωσιν, εἰρήνην, ἐκ (ex. 2) λοιμικῆς καταστάσεως, ἔστησεν, ᾔτησεν, φύσεως, ἀπεχήσεις, quæ omnes e Cod. Paris. 133. sumptæ sunt. Ubi ultima consonans est *Delta* aut *Lambda* signum illud omissionum sæpissime ita pingitur, ut factum est in ἔλαβεν (ex. 1) ὁ λαὸς et Δημοσθένης (ex. 3). De verbis ἐνίκησαν, ἔστησεν, ᾔτησεν, ἔλαβεν moneo, syllabas finales $\overline{\alpha\nu}$ et $\overline{\epsilon\nu}$ sæpissime non exprimi, sed e serie orationis eliciendas esse, scribasque interdum non legisse nisi quæ expressa essent, parum curantes supplementa omissorum. Sic, ut hoc utar, pro ἔστησεν legi facile potuit ἔστη.

In certis quibusdam vocibus ductus ille in ipsam lineam immittitur, aut superscribitur. Sic fit in ἅγιος. Vide voces ὁ ἅγιος, τὰ ἅγια, τῶν ἁγίων, e Cod. Paris. 133. Conf. Montefalcon. Palæogr. p. 345. col. 3. v. 17. (ubi ductus optime expressus est, quippe discrimen ejus literæque *Gamma* tam est manifestum, ut in oculos incurrat). Idemque valet in particulam ἤγουν.—In hâc particulâ ductum illum nunc pro *Gamma*, nunc pro notâ syllabæ $\overline{\omega\varsigma}$ habuerunt, legerentque ἤως pro ἤγουν.

Prius propterea falsum est quia $\overline{\gamma}$ (tali formâ) non superscribitur. Nam si in voce ἤγουν, id quod etiam fit, *Gamma* scribitur super *Eta*, alia usurpatur forma literæ *Gamma*, v. voc. ἤγουν (ex. 4). Posterius in Epistolâ ad Bredowium satis confutavi, ubi ostendi, ἤως non esse vocem Græcam.

Præterea hoc in legendis codicibus attendendum est. Litera superscripta etsi passim significat omissam esse aliam literam aut integram syllabam etc. tamen multum fallatur, qui semper hoc significari putet. Sæpe enim talis litera quanquam superscripta, nullius tamen omissionis index est, sed perinde valet, ac si in ipsâ lineâ scriptam legeremus. E. c. $\overset{\epsilon}{\pi}$ est illud quidem vulgare compendium præpositionis περὶ; sed non desunt exempla, ubi indicat solam syllabam $\overline{\pi\epsilon}$. Sic est in πεπεράτωται, πέπονθα, ex Etymolog. Sorbon.—Hâc occasione discat lector, pro duplici *Rho* ($\overline{\rho\rho}$), quo nunc

utimur in vocibus et compositis et simplicibus, in vetustis codicibus sæpissime unum poni.

Sed imprimis ο superscriptum magnam habet in legendo cautionem, diligentissimeque attendi oportet verborum sensum seriemque orationis. Nam hoc demum modo intelligas, e. c. πρ̊ sit πρὸς an πρὸ legendum: ο enim superscriptum tam simplex *Omicron* significare, quam compendium syllabæ ος esse potest. Ideo toties confusæ præpositiones πρὸ et πρὸς in vocibus compositis aliisque. Error commissus est in comp. 2. voc. ὄνομα quod legerunt ὄνος.

Ἁδρότητα.—Hujus similiumque substantivorum finales syllabæ τητος, τητι, τητα, κ.τ.λ. sic scribuntur per compendia, uti ostendunt voces τὴν (ex. 3) νεότητα e Cod. Vatic. 305. et τὴν (ex. 4) ἁπαλότητα, τῆς (ex. 5) ἁπλότητος e Cod. Paris. 133. Cum superlativorum exitus τατος (conf. voc. ὦ ἐνδοξότατε καὶ (ex. 1) προσφιλέστατε e Cod. Vatic. 305.) eodem compendio notetur, passim legerunt τητος pro τατος etc. ac versâ vice, quod non attenderent verborum contextum, e quo solo indicandum est, τατ legi an τητ, quomodoque syllabam finalem, si omissa est, scribi oporteat.—Alia ratio superlativos compendiose scribendi hæc est: omissâ syllabâ finali τος etc., litera *Alpha* in τα literæ *Tau* superscribitur. Vide voces Τιμαλφέστατον, τιμὴν (ex. 1) πολλὴν εὑρίσκον, e Timæi Lex. Platon., ubi legerunt τιμαλφέστατα, exitum vocis perverse explentes, quod non attenderent εὑρίσκον, cui accommodanda esset finalis syllaba vocis explicandæ. Simili modo scriba Codicis S. Germ. 345. comparativos scribit, omittens ρος, ρα, ρον, atque ε scribens super τ. Sic factum in comparativo ἀφθονέστερος.

Αἰγύπτιος.—Kœnius ad Gregor. p. 522. in Etymolog. M. e Codice Leidensi παρ' Αἰγυπτίοις recte præfert edito παρὰ αἶγα. Neque difficile est causam reddere hujus confusionis. Αἰγύπτιος quidem, perinde ut Αἴγυπτος, a librariis compendia sectantibus vulgo sic scribitur, ut super υ ponantur literæ πτ. vide Αἰγύπτιος, ex Etymolog. Sorbon. Sed plus etiam detruncaverat Etymologici M. scriba, solâ positâ initiali syllabâ αι superscriptoque ei *Gamma* (Γ). Scilicet librarii ubi prope ad finem lineæ (versus) pervenerunt, ut vocem

longiorem, cui integræ plenæque spatium deest, quoquo modo infarciant, interdum non dubitant, quamvis adversetur regula, tres adeoque quatuor syllabas supprimere.

Αἰολεύς.—*Lambda* hac in voce, quemadmodum in βασιλεὺς, Ἀχιλλέως, aliisque vocibus, superscribitur antecedenti literæ, syllabaque finalis omittitur. Vide βασιλεὺς, e Cod. Paris. 133.

Ἀκρωτήριον.—De tribus postremis syllabis hujus aliorumque nominum in τηριον exeuntium in ratione tachygraphicâ tantummodo literæ τρ vocali antecedenti superscribuntur. Vide voces ἀκρωτηριὸν et ποτήριον e Cod. Vat. 305. Hoc τρ sic superscriptum non semper recte legerunt; e. c. παιδεύτρια pro παιδευτήρια.—Frequentius etiam syllabæ finales τηριος confunduntur cum τερος, exitu comparativorum, qui eodem compendio scribuntur. Vide ποθεινότερον e Cod. Vat. 305. et ἀσεβέστερον e Cod. Paris. 135.

Ἀντὶ τοῦ.—Hæc formula, maxime a grammaticis frequentata, in libris manu scriptis sic pingitur, ut ostendunt exempla tab. III.—Ex his compendiis orti sunt hi errores:

1. Sæpe neglexerunt alterum *Tau*, quod plerumque significat τοῦ, (sed etiam τῆς, τῶν, etc. significare potest) legeruntque solum ἀντί. Grammaticorum scripta plena sunt locorum, in quibus ἀντὶ male positum est pro ἀντὶ τοῦ.—E contrario, nonnunquam scribebatur ἀντὶ τοῦ, ubi solum ἀντὶ scribi oportebat. Græcus lector, linguæ suæ satis peritus, seriem orationis attendens semper facile intelligit compendium αῦ valeat ἀντὶ an ἀντὶ τοῦ. Simili modo, i. e. solo *Tau* superscripto, articulus etiam aliis junctus præpositionibus indicatur.

2. Villoisonus in Scholiis Homericis exemplum, quod verbum ἀντὶ penultimum habet, et quod valet etiam ἀντὶ τοῦ legit ἀντωνυμία.

3. Secundum tertiumque exemplum compendii formulæ ἀντὶ τοῦ facile possunt confundi cum secundo compendio vocum Ἀττικὸς, Ἀττικῶς, a quo non differunt nisi literâ ν̄.

Ἀντιφάνης.—Solenne compendium hujus nominis ostendit exemplum tab. III. e Cod. S. Germ. 345. Similiter tachygraphi scripserunt Ἀριστοφάνης, Ἀπολλοφάνης, Ξενοφάνης

(pro quo in Schol. Platon. p. 172. perperam editum est Ξενοφάντης), aliaque nomina propria in φανης desinentia. Si *quatuor* literæ ανης omissæ sunt, literaque *Iota* φ sibi superscriptum habet, tale compendium legi potest et Ἀντιφάνης et Ἀντίφων. Hâc de causâ confusa sunt ambo hæc nomina.

Ἀόριστος.—Vide tab. III. Duo ista compendia, ex Etymolog. Sorbon. plurimum habent similitudinis cum compendio vocis ὁριστικὸς, quod constat literâ ο in cujus medio scriptum est ρ. Amborum verborum in grammaticorum scriptis, ubi voces solennes τῶν τεχνικῶν fere per compendia scribuntur, facilis est confusio.

Ἀπὸ.—Compendium hujus præpositionis in scripturâ et unciali et minusculâ constat duabus literis, α et π, quarum posterior superscribitur priori. Accentum librarii plerumque omittunt; quapropter α, prout poscit verborum contextus, ἀπὸ aut ἄπο legi potest. Simili compendio significatur ὑπὸ: nam pari modo literæ υ superscribitur π. Hæ præpositiones dici non potest quoties confusæ sint. Alium modum scribendæ præpositionis ἀπὸ ostendunt exempla 4. 6. et 7. e Cod. S. Germ. 249.—Ab hâc notâ compendium præpositionis ὑπὸ (v. voces ὑπὸ (ex. 2) τῶν (ex. 3) συμμάχων, quæ sumptæ sunt ex Æschine παραπρεσβ. p. 272. Reisk.) non differt nisi spiritu duobusque punctis significantibus *Upsilon*. Quo facilior fuit commutatio harum præpositionum. Vide ἀπὸ βαρυτόνων, ex Etymolog. Sorbon.

Si ἀπὸ plenis integrisque literis scribitur, plurimorum librarii codicum cum substantivo sequente connectere solent. E. c. scribunt ἀποσκοποῦ pro ἀπὸ (s. ἄπο) σκοποῦ. v. Gregor. p. 210. Idem tenendum de plerisque præpositionibus. Sic Cod. Palat. 398. dat διαλόγων pro διὰ λόγων. Pariter Cod. S. Germ. 345. habet διέχθρας, διόχλον, pro quibus Epist. p. 208. scripsi δι' ἔχθρας, δι' ὄχλου. In nonnullis vocibus idem mos etiamnunc servatur, velut in διατέλους, διαταχέων, διόλου, etc. Porro reperias eodem scripta modo ἀνθαυτοῦ, καθαυτὸν, μεταλέξαν (pro μετ' Ἀλέξανδρον, v. Gregor. p. 539) ἐπιστρατὸν, ἐπιμῆκος (v. voc. Ἀππιανὸς) εἰσσυμβίβασιν, etc. Hic scribendi mos varios errores peperit. Montefalconius,

ut hoc utar, in Anti-Atticistâ S. Germ. non dedisset ἀποστόμασις pro ἀπὸ (ex. 8) στόματος, si præpositio ἀπὸ sejuncta fuisset a nomine στόμα.

Ἀποβολή.—Nominum in ολη, e. c. ἀποβολὴ, varia sunt compendia. Nunc enim pingitur αποu superscripto ο, nunc αποuο, superscripto λ, nunc ἀπο͂ cum υλ. Pari varietate scribitur συστ cum ο, συστο cum λ et συς cum λ s. συ cum ςλ pro συστολή. v. Gregor. p. 456. Postremum compendium vocis συστολὴ suspicor in Gregor. p. 601. pro συ cum λλ (συλλαβὴ) sumptum, i.e. voces συστολὴ et συλλαβὴ confusas esse. Cæterum nomina in ολια iisdem, quibus nomina in ολη scribuntur compendiis.—Voces διὰ τὰ (ex. 1) σύμβολα sumptæ sunt e Cod. S. Germ. 345.

Ἀπορία.—Scriba Cod. Gregor. 2423. hanc vocem compendiose sic scribit, ut cernere licet in exem. 1. Cætera duo exempla ejusdem vocis sumpta sunt e glossis marginalibus recentioribus Codicis Hermogen. 1983. Quod ad Gregor. p. 436. e Codice Dorvill. Erotiani citavi ἀπȣ́α, nihil est aliud quam perperam lectum ἀπορία. Lector facile intelliget, ρ superscriptum habere similitudinem cum ȣ. Nomina in ηγορια simili indicantur compendio: literæ enim Η superscribuntur Γρ, duobus punctis nunc additis, nunc omissis. Duo hæc puncta valent pro ι omisso, ponunturque ab accuratioribus scribis, ut substantiva illa ab adjectivis in ηγορος, quorum eadem sunt compendia, dignosci possint. Vide etiam infra in voce κατηγορία.

Ἀππιανός.—Nomina in ανος compendio solenni sic scribuntur, ut, syllabâ νος plane omissâ, *Alpha* super *Iota* ponatur. v. Ἀππιανὸς et Ἀῤῥιανὸς e Cod. S. Germ. περὶ συντάξεως. Accentus sæpissime negligitur. De duplici π in Ἀππιανὸς moneo, postremam lineam prioris primamque posterioris in *unum* ductum contrahi. Hæc contractio facilisque colluvio rotundorum calami ductuum in minusculâ scripturâ faciunt, ut sæpius modo *unum* π loco duorum videre tibi videaris.

Quod dixi compendium nominum in ανος, passim perperam acceptum est. Scilicet

1.) partem horum nominum omissam non suppleverunt, ac modo eam, quæ vere scripta esset, legerunt: qui error omnino in compendiis vocum legendis est longe frequen-

tissimus. Sic in Etymolog. M. interpretor corruptum Διογενία, pro eoque lego Διογενιανός. v. Gregor. p. 242.

2.) ᾱ superscriptum literæ ῑ habuerunt pro syllabâ ας. Inde ortum vitiosum Ἀππίας, pro quo Ἀππιανὸς scribendum est. Passim autem α superscriptum valuisse pro syllabâ ας, uti ō superscriptum pro syllabâ ος valet, verum est, apparetque, alia ut omittam, ex Etymolog. Sorbon. v. voces ἡμᾶς et φορᾶς. Pariter superscriptum ε̄ in Etymolog. Sorbon. interdum significat syllabam ες. Vide voces ἀνδρόμηκες, γυναῖκες, et ἐπίμηκες. Pro ultimo adjectivo, id quod in transcursu moneo, in Etymolog. M. p. 170, 33. et 338, 4. legitur forma ἐπίμηκος. Sed assentior Sylburgio præferenti ἐπὶ μῆκος. Vide quæ de connexione præpositionum cum substantivo sequente in voce ἀπὸ dixi. Denique superscriptum ω̄ in Etymolog. Sorbon. reperitur pro syllabâ ως. v. vocem ὀξυτόνως.

Ἄρα.—Hujus particulæ primum exemplum e Cod. Platon. 1807. sumptum est. Alterum exemplum, idque recentius, εἰ μὴ (ex. 2) ἄρα εἴπωμεν, ubi angulosus ductus abiit in rotundum, debetur Codici Paris. 133.

Ἀριστοτέλης.—Nominis hujus compendiose scribendi modus frequentissimus hic est, ut syllaba λης omittatur, atque ε̄ superscribatur literæ *Tau*. Sic factum in Cod. S. Germ. 345. Aliis in codicibus, iisque recentiorum temporum, reperitur etiam ἀριστό$^{\tau\lambda}$. Si omittuntur duæ syllabæ τελης, superscribiturque ō, quod restat legi potest ἄριστος: unde orta confusio nominum ἄριστος et Ἀριστοτέλης. Eâdem de causâ σοφὸς et Σοφοκλῆς, ξένος et Ξενοφῶν, δῆμος et Δημοσθένης, ἴσος et Ἰσοκράτης, confunduntur, ubi hæc nomina propria per compendia sic notantur, ut ō superscriptum pro syllabâ ος haberi possit.

Ἅρμα, ἅρματος.—Neutra in μα desinentia prisci scribæ talibus compendiis scripserunt; e.c. ἅρμ̃ (sic, accentu imposito priori *Alpha*, alteroque *Alpha* superscripto) significare potest, 1. ἅρμα, 2. ἅρματος, 3. ἅρματι, 4. ἅρματε, 5. ἅρματα, 6. ἅρμασι. In compendiis 2—6. itemque in iis quæ significant ἁρμάτοιν et ἁρμάτων, secundum regulam literæ μ̄ lineola parva ductu transverso adponenda est, (sic: ἅρμ̃ʼ, ἁρμ̃ʼ) quâ

indicetur, vocem non plene scriptam esse. Hanc lineolam librarii nunc addunt, nunc omittunt. Jam quinam casus singulis locis intelligendus sit, docet nunc articulus antepositus, τὸ, τοῦ, etc. nunc præmissa præpositio, nunc omnino contextus orationis. Itaque non mirum, in legendis codicibus tot objici difficultates. ἁρμ͂ (accentu imposito *Alpha* superstanti) valet ἁρμάτοιν et ἁρμάτων.

Participia in ουσα compendiose sic scribuntur, ut ȣ ponatur super consonantem antecedentem, syllabæque σα omittatur. Conf. voces ὑπερβάλλουσα συμφορὰ e Cod. S. Germ. 345. Eodem compendio scribuntur syllabæ finales ουσιν, quæ causa est cur tam facile confundantur ουσα et ουσιν.

Alius modus nomina in μα desinentia in genitivo cæterisque casibus compendiose scribendi huc redit, ut τ super α scribatur; e.c. τοῦ στόμᾶ pro τοῦ στόματος.

De tertio modo hæc nomina in genitivo etc. per compendia scribendi v. infra voc. καλούμενος.

Ἀττικὸς, Ἀττικῶς.—Duæ hæ voces, et prior quidem omnibus in casibus et generibus, quæ quoque loco e serie orationis eruendæ sunt, in Cod. S. Germ. 345. aliisque codicibus per compendia sic pinguntur, ut ostendunt tria exempla tab. IV. Monui ad Gregor. p. 184, postremum exemplum in Cod. S. Germ. Mœridis, v. χρήματα, legi oportere ἀττικοὶ non ἀττικῶς: idemque valet de articulo ναυττιᾷν, citato in Append. p. 15, ubi per errorem ἀττικῶς pro ἀττικοὶ, et ἑλληνικῶς pro Ἕλληνες, scripsi. Nam accentus super ε̄ (vide voces ναυττιᾷν, ἐν τοῖς β ττ. ἀττικοὶ, ναυσιᾶν, ἕλληνες) manifestò ostendit compendium illud legendum esse ἕλληνες: igitur etiam α̃ legi debet ἀττικοί.

De confusione facili secundi compendii vocis ἀττικῶς cum vocibus ἀντὶ τοῦ dixi supra, v. ἀντὶ τοῦ.

Αὐθυπότακτον.—Compendium hujus vocis, cujus fit mentio Epist. p. 131, sumptum est e Cod. S. Germ. 177.

Ἀχιλλεύς.—Vide supra v. Αἰολεὺς, et de Ἀχιλλῆος in Scholiis Homericis perperam lecto pro Ἀχιλλέως, v. supra literam *Lambda*. Simili lapsus errore Villoisonus in Apollonio v. ποιμὴν p. 668. edidit τὸν βασιλῆ, permiram in scriptis Scholiastarum aliisque formam, pro eo quod secundum

codicem dare debuit τὸν βασιλέα. v. Βασιλέα.

Βαρύτονος.—Hoc adjectivum, perinde ut verba βαρύνεσθαι, βαρυτονεῖσθαι, etc., in codicibus grammaticorum raro scribitur plenis integrisque literis. Primum exemplum βαρυτ, superscripto ο, prout poscit contextus verborum, legi potest βαρύτονος, βαρυτόνως, βαρυτονεῖται, κ. τ. λ.: βαρ, superscripto υ, ejusdem est significationis, ac præterea significat βαρύνεται, βαρύνουσι, βαρὺς, κ. τ. λ. Vide voces πᾶσα (ex. 2) λέξις (ex. 3) εἰς αρ λήγουσα βαρύνεται (ex. 4).—Si in genitivo βαρύτονων finalis syllaba ων una cum accentu exprimitur, vocis hujus ea est forma, quam exempla duo ostendunt.

Γενικὴ.—Compendium hujus vocis vulgare est *Gamma*, cui ε superscriptum est. Duo prima exempla sumpta sunt e Cod. S. Germ. 345., altera duo ex Etymolog. Sorbon.

Γεώργιος.—In hujus vocis compendio, e Cod. Hermogen., *Gamma* superscribitur antecedenti *Rho*.

Γίνεται.—De confusione hujus verbi cum pronomine τινὲς vide supra syllabam αι.

Γνώμη, συγγνώμη.—Superscribitur ω, omittiturque syllaba μη. vide voces γνώμη μὴ (ex. 1) μένων (ex. 1) e Cod. S. Germ. 345.

Γράφεται.—Hujus verbi compendium, quod nihil est aliud quam *Gamma* habens innexum sibi *Rho*, videbis num. 2. 3. ex Etymolog. Sorbon. et Cod. S. Germ. 345. vid. p. 107. τικα et ται. Frequentissimum est in marginibus plurimorum codicum, vulgoque sic indicantur scripturæ diversitates. Ubi in ipso textu reperitur, exitus verbi quoque loco sic, ut poscit contextus, supplendus est; nam unum idemque compendium γρ significare potest γράφει, γράφουσι, γράφονται, ut breviter dicam, omnes personas modosque verbi γράφω, qui a syllabâ γραφ incipiunt.

Substantivum γραφὴ eodem scribitur compendio. Vide voces τῇ (ex. 1) γραφῇ e Cod. Paris. 133. Γράφεται per compendium scriptum, confuderunt cum particulâ γαρ sic pictâ, ut ostendit (ex. 5). Idem γράφεται simile est etiam notæ tachygraphicæ præpositionis πρός. Vide voces πρὸς (ex. 3) τὴν (ex. 4) κοιλίαν e Cod. Platon. 1807, et verbum προσέθηκεν. Præterea verbum γράφειν compendiose sic

scribitur, ut *Alpha* ponatur super literas γρ. Sed hoc γρα, e. c. antecedente articulo τὸ, etiam substantivum γράμμα significare potest. Hoc substantivum cum πρᾶγμα sæpe confuderunt.

Δέ.—Compendium hujus particulæ in vulgus notum accuratiores librarii sic pingunt, ut a notâ verbi ἐστὶν solius absentiâ spiritus dignosci possit. Vide voces δὲ (ex. 3. 4) et ἔστιν (ex. 5). Ideo hæ voces toties commutatæ sunt. v. Epist. p. 256, sqq. Gregor. p. 48. Vide etiam infra vocem ζήτει. Duo puncta sæpissime omittuntur. Præterea scribæ passim spiritum super notâ verbi ἐστὶν negligunt: ut hæc nota plane non differat a compendio particulæ δὲ (ex. 3). In minusculâ scripturâ nonnullorum codicum compendium hujus particulæ, quando forte fortunâ caret accentu, facile haberi potest pro signo commatis. In Append. p. 57. monui pro οἷον, post quod commatis signum sequeretur, fuisse qui οἱ δὲ legerunt. Nimirùm interpunctionis signum habuerunt pro compendio particulæ δὲ, notamque syllabæ ον pro accentu gravi ejusdem particulæ. E contrario, legerunt οἷον, ubi οἱ δὲ legi oporteret. v. ibid.

Δηλονότι.—Sæpissime omittuntur syllabæ ονοτι, et *Lambda* scribitur super *Eta*; unde non potest non magna nasci ambiguitas. Nam δῆλον, δῆλα multæque aliæ voces a δηλ incipientes eodem compendio scribi possunt. Vide quæ dixi in literâ *Lambda*. Compendium vocis δηλονότι frequentissimum est in Scholiis manu scriptis: nam Scholiastæ illâ utuntur tanquam vocabulo exegetico, quod respondet Latino *subaudi*.

Δημοσθένης.—Varia sunt hujus nominis compendia. Librarii enim nunc unam omittunt syllabam νης, superscribentes ε, nunc duas σθενης, superscribentes ο, nunc adeo tres μοσθένης, solam exprimentes syllabam initialem δη. Vide voces ὁ (ex. 3) Δημοσθένης (ex. 2) ἐν (ex. 1) τῷ (ex. 1) κατ' (ex. 7) Ἀριστοκράτους e Cod. S. Germ. 249; vocemque Δημοσθένης (ex. 3) e Cod. Herodiani (περὶ σχημ.) 2551.

Διά.—Vide voces διὰ τὰ (ex. 1) σύμβολα. Articulus ubi post διὰ sequitur, sæpe significatur solo *Tau* superscripto, e. c. διᾶ pro διὰ τοῦ. v. Append. p. 15. Sed hoc idem διᾶ,

etiam διὰ τῆς, διὰ τὸ, διὰ τὸν, διατί, &c. valere potest, prout quoque loco series orationis postulat.

Διογενιανός.—Vide in Ἀππιανός.

Δισύλλαβος.—Vide in συλλαβή.

Δίφθογγος, δίφθογγον.—Tab. VI. ostendit varia harum vocum compendia ex Etymolog. Par. 2630.

Δοτική.—Ad vocem hanc compendiose scribendam τ superponitur literæ ο, cæteraque omittuntur. Ab hoc compendio parum differt quod ex Etymolog. Paris. 2630. dedi δυ/, id est δυϊκὴ. Ideo fieri potuit, ut voces δοτικὴ et δυϊκὴ confunderentur. v. Gregor. p. 631. Quod modo dixi compendium δυ/, in eodem Etymologico etiam pro voce δύναμις ponitur.

Eodem compendio scribitur verbum δύναται. Jam si reputaveris librarios vocem δηλονότι passim hoc compendio, δη/, scripsisse, non mira videbitur commutatio vocum δύναται et δηλονότι: omnis enim earum differentia redit ad literas *Eta* et *Upsilon*, quas recentiores Græci eodem sono pronuntiant.

Δυσώδης.—Nominum in ωδης et ωδια eadem sunt compendia: nam in utrisque litera δ superscribitur literæ ω.

Εἰκὼν, εἰκόνος.—In genitivo cæterisque casibus hujus substantivi ο scribitur super κ, ac sequentes literæ omittuntur.

Εἰς.—De confusione hujus præpositionis cum ἐκ supra in literâ *Kappa* dictum est. Articulus τὸ, τὸν, τὴν, etc., si post εἰς sequitur, sæpius, perinde ut in aliis præpositionibus, solo *Tau* superscripto indicatur. Vide Tab. VII. Formula εἰς τὸ frequentissima est in Lexicis, quando citantur alii articuli.

Εἶτα.—In adverbio hoc compendiose scribendo *Alpha* interdum omittitur, et τ superscribitur diphthongo ει. Vide εἶτα e Cod. Ven. Hom.

Ἕλληνες, ἑλληνικὸς et ἑλληνικῶς, eodem compendio scribi possunt, quando, accentu omisso, tantummodo duæ primæ syllabæ pinguntur. Sin ε acutum sibi impositum habet, compendium modo ἕλληνες significat.

Ἔνθα et ἔνθεν eodem compendio, i. e. syllabâ εν, cui superscripta est litera θ, significantur. v. ἔνθα et ἔνθεν, e Cod. S. Germ. 345. Ideo ambæ voces toties confusæ sunt. v. Epist.

p. 56. et 277. Append. p. 11, sq. Nec minus confunduntur *ἐνταῦθα* et *ἐντεῦθεν*, nam compendia horum adverbiorum *ἐνταῦ* et *ἐντεῦ*, parum inter se discrepant.

Ἑνικὸς et *ἐνεργητικὸς* confunduntur (vide Epist. p. 117, sq.) quia ambæ voces passim solo ε, cui superscriptum est N, indicantur. Idem compendium in Etymolog. Sorbon. nonnunquam significat vocem *ἐνεστώς*.

Ἐν τῷ, ἐν τῇ.—Articulus utrobique indicatur sic, ut *Tau* scribatur super εν. v. Gregor. p. 459, et 539.

Ἐπειδάν.—Hæc particula in vetustis codicibus sæpe reperitur sic scripta: *ἐπεὶ δ' ἄν*. v. Append. p. 26. Ubi scribitur per compendium, δ ponitur super diphthongo ει. vide tab. VIII. Hinc non potest non ambiguitas nasci: nam επει significare potest tam *ἐπειδὰν* quàm *ἐπειδή*. Igitur solus qui sequitur verbi modus docet utro modo legendum sit: nam post *ἐπειδὰν* sequitur subjunctivus. v. Gregor. p. 165.

Ἐπενδύνοντο.—Schæferus ad Gregor. p. 51. de hac voce sic scribit: "Augmentum requiro. Pierson ad Moer. p. 139. corrigit *ἐπενδύονται*." Haud infrequens scripturæ diversitas το et ται in exitu verborum passivorum hinc orta est, quod ambarum syllabarum idem fuit compendium. Scilicet librarii, ut has syllabas significarent, solum τ superscripserunt literæ antecedenti. Quod si augmentum nihil in verbo discriminis facit, hinc, pariter ut in plurimis aliis compendiis, nascitur sensus ambiguitas, cui inter legendum, quantum fieri potest, e verborum contextu subveniri oportet. E. c. *πέπρακ*, quod in codicibus Libanii sæpius reperire memini, legi potest et *πέπρακται* et *πέπρακτο*.

Ἐπίθετον.—Vide infra, voc. *σύνθεσις*.

Ἐπίῤῥημα, ἐπιῤῥημάτικος et *ἐπιῤῥηματικῶς*, in grammaticorum libris manu scriptis nonnunquam eodem significantur compendio, videlicet sic, ut η duplici ρ superscribatur. Vide has voces ex Etym. Paris. In Scholiis Venetis ad Hom. Il. Δ. 186. festinatio Villoisoni procudit adverbium fabricæ plane mirabilis, *ἐπιῤῥηματοπικῶς*, pro quo *ἐπίῤῥημα τοπικὸν* legendum est. Vide has voces e Cod. Ven. B.

Ἐστίν.—De notâ tachygraphicâ hujus voculæ, quam sæpissime cum *δὲ* confuderunt, supra v. *δὲ* dictum est. Alia ejus

compendia videbis tab. VIII. e Cod. S. Germ. 249. et Etymolog. Sorb. Accentus spiritusque sæpissime omissi sunt. Voces βίαιος ὁ Ἰξίων ἐστὶ (ex. 1) ex Apollonio περὶ ἀντωνυμίας sumptæ sunt.

Similitudinem, quæ primis duobus compendiis particulæ ὅτι intercedit cum ἐστὶ, lectores facile animadvertent; atque hæc similitudo causa fuit cur hæ voces confunderentur.

De compendio pluralis εἰσὶν infra voce κεφαλὴ dicam.

Notam peculiarem futuri ἔσται lector jam cognitam habet e vocibus οὐδεὶς φθόνος ἔσται (ex. 2) e Cod. S. Germ. 249.

Quo compendio scribatur infinitivus εἶναι, ostendit tab. VII. Vide voces ὡς (ex. 7) εἶναι (ex. 3) ἡμερῶν τριάκοντα (ex. 2) tab. I. Εἶναι in vocibus αὐτῷ εἶναι (ex. 2) Δέρης nec spiritum nec circumflexum habet.

Ἔχειν.—Omnibus in modis personisque hujus verbi incipientibus ab ε͞χ, litera χ͞ superscribitur literæ initiali, cæteris plane omissis. In Scholiis Homericis Villoisonus ε (χ superscr.) legit εὖ, cum legere deberet ἔχει. Vide Append. p. 53.

Ζήτει.—Lexicographi utuntur hac voce, quando lectores ad alios lexicorum suorum articulos amandant; e. c. Ζήτει εἰς τὸ ἄμπελος. Vide in εἰς. In Codice Hermogen. 1983. hæc vox per compendium sic scribitur, ut ostendunt prima duo exempla vocis ζήτει. Cætera exempla vocis ζήτει compendiose scriptæ sumpsi ex Etymolog. Paris. 2630. De tertio *Zeta* moneo, si duo apices conjungantur, inde existere *Beta*: de quarto, multum ei similitudinis intercedere cum notâ particulæ δὲ. Vice voc. ζωγράφοι.

Ζ͞η superscripto τ͞, etiam ζητεῖται significare potest. v. ad Gregor. p. 341, ubi ζήτει et ζητεῖται confunduntur. Ἐζῆ compendium est præteriti ἐζήτηται.

Ἤγουν.—Vide quæ supra p. 52. de compendio hujus particulæ dixi.

Ἡρόδοτος.—Hoc nomen interdum per compendium sic scribitur, ut δ imponatur antecedenti ο, sequentesque literæ plane omittantur. Idem est compendium nominis Ἡρόδωρος: quapropter ambo hæc nomina confusa sunt. v. Epist. p. 133. Etiam Ἡρωδιανὸς, Ἡρώδης et Ἡρόδοτος confunduntur, quando duo priora nomina scribuntur sic, Ἡρῶ (δ superscr.), omni tum discri-

mine versante in correptione aut productione vocalis O, quo in casu pronuntiatio aures fere fallit.

Θεὸς.—Quomodo hæc vox compendiose scribatur, in vulgus notum est. *θς, θυ, θῷ, θν* valent Θεὸς, Θεοῦ, Θεῷ, Θεὸν. Genitivus pluralis *ταχυγραφικῶς* pictus, cujus mentio fit Append. p. 25, in Cod. S. Germ. 345, sic scribitur, ut ostendit tabula x.

Θέλειν.—Litera λ̄ antecedenti ε̄ omnibus in modis personisque, quæ incipiunt a Θελ, superscribitur.

Θεσμοφοριάζουσαι.—In Cod. S. Germ. 345. hæc vox passim, omissis quatuor syllabis postremis ριαζουσαι, sic pingitur, ut lectores videbunt tab. x.

Θουκυδίδης.—Hoc nomen in codicibus nunc θουκυδι, nunc θουκυ, (item θουκυ, ut in Cod. Apollonii v. ἔνθα, p. 326, 2. Villois. τυ pro Τυδείδης) nunc adeo simpliciter θου, scriptum reperi. Exitus vocis semper accommodate seriei orationis explendus, quâ in re librarii non raro peccarunt. vid. Gregor. p. 79, 89, &c.

Ἴαμβος.—In compendiosâ scripturâ fere legas ἴαμ. Si accentus deest, hoc ἰαμ etiam alio modo expleri potest; e. c. ἰαμβικοῖς.

Ἰσοκράτης.—In hoc nomine compendiose scribendo, si κρατης omittitur, superscribiturque ō, quod ejus remanet, nisi seriem attendas orationis, ἴσος legi potest. Vide supra, in Ἀριστοτέλης. In Harpocrat. v. Ῥινῶν vetustiores editiones habent Ἰσαῖος pro Ἰσοκράτης. v. Epist. p. 133. Nimirum confuderunt (conf. Gregor. p. 295. not.*) signum suppressionis juxta *Sigma* pictum cum uncino significante αι. vide voc. Ἰσοκράτης. Maussacus primus in Harpocrat. l. c. restituit genuinam scripturam Ἰσοκράτης, et ex Harpocratione correxit in Isocrate Ῥινῶν pro corrupto Οἴνων, quam correctionem Coray auctoritate codicis confirmari vidit. Verissime Maussacus: "Facilis mutatio τοῦ ρ̄ in ō, nam si caudam του ρ̄ demas, remanebit ō." Videlicet cauda literæ *Rho* interdum minutissima est, ut sub rotunditate παραλόγως crassa (fere ut in ει in v. ἐνέργειαν) cerni vix possit. Vide γράφοντες e Cod. Par. 2423. Nihil igitur facilius, quam in nomine proprio, quod quomodo legendum sit,

sensus loci parum docet ō pro ρ̄ ponere.

Ἰωάννης.—Vide verbum tab. x. e Cod. Paris. 3047. Signum super ω̄ non est circumflexus, sed lineola, γραμμὴ. Interdum tamen hanc γραμμὴν habuerunt pro circumflexo, ideoque perperam legerunt compendium nominis Ἰωάννης.

Καί.—Compendia et signa hujus particulæ magnam partem jam nota sunt e tabulis palæographicis. In unciali scripturâ plerumque modo syllaba αι̅ compendiose pingitur. Vide exempla 12 et 20. Nonnunquam pro hamulo significante syllabam αι̅ (Gregor. p. 82) reperitur lineola compendium indicans aliusve ejusdem significationis ductus, qualem ostendunt, ex. 9. et 10. e cod. 1807. Καὶ ita pictum passim confuderunt cum præpositione ἐκ, quando hamulus valens pro syllabâ αι̅, id quod haud raro fit, minutissimus factus esset, adeoque in oculos vix et ne vix quidem incurreret, et accentus particulæ proprius primam lineam literæ κ̄ contingeret ideoque pro notâ tachygraphicâ literæ ε̄ haberi posset. Vide supra *Epsilon*, et tab. x.

Porro si *Kappa* ita scribitur ut in Κτησύλλης, notâ tachygraphicâ particulæ καὶ propter magnam talis *Kappa* literæque *Eta* similitudinem, refert voculam ἢ: unde orta tam frequens confusio harum particularum. Vide Gregor. p. 410. Quod si lector has voces comparaverit, facile intelliget, ἢ a particulâ καὶ propemodum solo spiritu dignosci posse.

Peculiarem notam voculæ καὶ, quæ, si spiritus negligatur, tam facile cum ὣς confundi potest, ostendunt exempla 6 et 13.

Conf. voces ὡς καὶ, δὲ καὶ, ἀγαθὸς καὶ βοηθὸς, Φωκίδος καὶ Δελφῶν, ἀπρεπῶς καὶ, δύναται (ex. 2) γὰρ καὶ (ex. 14), e Cod. Ven. Homer. In postremo loco inferior ductus hujus notæ forte fortunâ cum superiore sic connexus est, ut ὁ videre tibi videaris.

Notas particulæ καὶ in recentissimis codicibus obvias videbis in ex. 2. 3. 4. 5. Quartæ et quintæ sumptæ sunt e Cod. Paris. 2423; ibique leguntur in extremis lineis, ubi hujusmodi ductus grandes satis frequenter occurrunt.

Κάλλιον.—Suspicor (v. Epist. p. 159.) voces Μητίχου καλλίῳ in phrasi ἐν Μητίχου καλλίῳ τῶν ἀλλοτρίων ἕνεκεν (Alciphron. iii. 29), sic scriptas fuisse, ut ostendunt tab. x.

et XIII.; quanquam conjecturam ἐν Μητίχου καλλίῳ pro ἐν Μηλίῳ κατὰ certam planeque indubitatam non dixerim (v. Append. p. 43). Hoc tamen nemo dubitabit vocem κάλλιον per compendium sic scribi potuisse, ut tab. x. indicavi. Verum quidem est, ubi superscribitur duplex *Lambda*, sæpius poni λλ (hâc formâ): sed quando usurpatur tale *Lambda*, quale e. c. in voce Ἀχιλλέως apparet, pro duplici literâ ponitur simplex, unde major etiam ambiguitas existit; nam κα superscriptum habens *Lambda*, infinitam multitudinem vocum significare potest, quæ quoque loco e contextu verborum conjectando eruendæ sunt. Timæus Lex. Platon. v. Ποτνιώμενος ἐπικαλεῖτο σὺν λύπῃ. Verisimillimum est, in libro, quem scriba S. Germ. transcripsit, fuisse επικα, superscripto *Lambda* quod, serie orationis præeunte, legi oportuit ἐπικαλούμενος, non ἐπικαλεῖτο, quæ vox ne Græca quidem est. Nomen proprium Καλλίμαχος vulgo scribunt hoc compendio, Καλλιμᾶ aut Καλλί: sed idem nomen in Scholiis Venetis ad Homerum aliquoties sic pictum vidi, ut verbum κάλλιον effictum cernis. Idem est compendium nominis proprii Καλλίας.

Καλούμενος.—Hac in voce indicabo compendium participiorum passiv. in μενος solenne scripturæ tam uncialis quam minusculæ. Redit hæc, ut ε scribatur super μ, et omittatur syllaba finalis νος, νη, νον, &c. Sic ἀγομ pro ἀγομένη, συντασσομ pro συντασσομένη. Talibus locis scribæ, cum aliud agerent, non legebant nisi quæ scripta erant, plane obliti syllabæ finalis νος etc.; sed quando hæc passivorum participia compendiose scribuntur, multo plus quam exitus νος etc. omitti potest. E. c. σῆ sæpissime scribitur pro σημαινόμενον, δῆ pro δηλούμενον κ. τ. λ.

Alius modus syllabas μενος compendiose scribendi hic est, ut solas literas μν superscribas vocali antecedenti. Vide voces ἐρώμενος et κτησάμενος e Cod. Paris. 133. Literas μν ita superscriptas passim confuderunt cum literis μτ, quarum usus est ad indicandas syllabas finales ματος, ματι, etc. (v. Gregor. p. 19). Vide voces τῷ (ex. 4) νοσήματι, κατορθώματι, ex eod. Cod.

Κατά.—Varia hujus præpositionis compendia lectores

videbunt tab. XI. In scripturâ unciali utrumque $\bar{\alpha}$ sæpissime omittitur, ac $\bar{\tau}$ scribitur super $\bar{\kappa}$. Tali compendio pictum *κατὰ* (ex. 1) in Scholiastâ Platonico p. 170. male habuerunt pro præpositione *ἐκ*.

Præterea præpositio *κατὰ* propriam sibi ac peculiarem notam habet, quam cernes in voce *καταφρονῶν*; in exemplo 7mo. voc. *κατὰ* tab. XI. e phrasi *ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους*; denique in ex. 9no. e phr. *τῷ κατὰ* (ex. 9) *παράληψιν σχήματι*. Hæc nota connexa cum literâ sequente nonnihil habet similitudinis cum præpositione *ἀπὸ*, v. *ἀπὸ βαρυτόνων*. Vide etiam in v. *μετά*.

Καταδικασθέντες — Scriba Codicis S. Germ. 345. hanc vocem satis audacter sic contraxit, ut $\bar{\delta}$ scriberet super $\bar{\alpha}$, sequentesque syllabas plane omitteret. v. Append. p. 18, ubi simul monetur, *κατα̃* etiam pro voce *κατάδικοι* valere posse. Accuratius foret compendium participii *καταδικασθέντες*, si *θ* scriberetur super *σ*. Nam *θ* superscriptum plerumque indicat aoristum 1. passivi.

Καταπληκτικός. — *Πληκτικὸς* plerumque sic scribitur, ut apparet tab. XV. e Cod. Vat. 305. Si scribuntur solæ literæ $\overline{\pi\lambda}$ superimposito $\bar{\eta}$, hoc compendium legi potest etiam *πλησίος*, *πληθυντικὸς*, etc.

Κατηγορία, κατήγορος.—Jam supra v. *ἀπορία* de compendio quodam nominum in $\overline{\eta\gamma o\rho\iota\alpha}$ et $\overline{\eta\gamma o\rho o\varsigma}$ locutus sum. Sed præterea sic pinguntur, ut $\bar{o}$ ponatur super *ηγ*, literæque sequentes omittantur. E. c. *κατηγ̊*, quod valet nunc *κατηγορία*, nunc *κατήγορος*, v. Gregor. p. 456. Pari modo *διαφ̊* (lineâ transverse ductâ per caudam literæ $\bar{\phi}$) significat nunc *διαφορὰ*, nunc *διάφορος*. Scriba Codicis S. Germ. 345. quo compendio vocem *συμφορὰ* scribat, docet tab. XVII.

Κεφαλὴ, κεφάλαιον notantur simplici $\bar{\kappa}$ cui $\bar{\varepsilon}$ superscriptum est. Pluralem numerum harum vocum librarii interdum sic significarunt, ut compendium illud $\overset{\varepsilon}{\kappa}$/ bis deinceps scriberent. Vid. voc. (tab. XI.) e Cod. Hermogen. 1983. Omnino iteratio literæ superscriptæ sæpe est index numeri pluralis. v. Append. p. 13. Sic factum in vocibus *ὀνόματα τῶν* (ex. 2) *παίδων ταῖς* (ex. 1) *μετοχαῖς, πρὸ δὲ* (ex. 4) $\bar{\rho}$ *στίχων*, ex Etymolog. Sorbon. et Cod. S. Germ. 345. Simile quid depre-

hendas in notâ tachygraphicâ verbi εἰσίν: nam si pro lineolâ duplici esset simplex, nota illa valeret pro singulari ἐστίν.

Κλίμαξ, κλίμακος.—Genitivus cæterique casus hujus nominis compendiose scribuntur sic, ut, suppressâ syllabâ finali, α ponatur super μ. Tunc articulus antecedens aut verborum contextus quoque loco docet, qui casus a scriptore positus sit.

Κόλασις.—Ut substantiva in σις desinentia per compendium scribantur, syllaba finalis σις omittitur, superscribiturque antecedens vocalis. Vide voces ἐπὶ (ex. 1) κόλασιν et εἰς συμβίβασιν e Cod. S. Germ. 345.

Tertium exemplum ex eodem sumptum codice significat, non ἐπὶ κολακείᾳ, sed ἐπὶ (ex. 4) κολάκευσιν, si modo librarius non erravit, cum literam α accentu acuto instrueret. v. Append. p. 21. Montefalconius falso legit ἀποστόμασις pro ἀπὸ (ex. 8) στόματος. v. Append. p. 17. Σχῆμα, ῥῆμα, χρῆμα etc. compendiose scribi possunt sic, ut syllaba μα omittatur et litera η superscribatur. Vid. τῷ (ex. 5) κατὰ (ex. 9) παράληψιν σχήματι e Cod. S. Germ. 249., ῥῆμα (ex. 1), χρήματος e Cod. Sorbon.

Ἐπαφρόδιτος, ὑπομνήματι ex Etymol. Sorb. et ἀπομνημονεύμασιν e Cod. S. Germ. 345.

Κορύζα.—Quando nomina in ζα exeuntia per compendia scribuntur, syllaba ζα omittitur, superscribiturque antecedens vocalis. Vide vocem ἀργυρόπεζα e Cod. Ven. Hom. A. In Timæi Lex. Platon. Scriba S. Germ. perperam dedit κόρυ pro κόρ̄ (lineâ transverse ductâ per caudam literæ ρ), i.e. κόρυζα. Vide Append. p. 23.

Λέγω.—Hoc verbum omnibus in modis personisque, quæ incipiunt a λεγ aut λε, compendiose ita scribitur, ut ostendunt exemp. 2 et 3, e Cod. S. Germ. 345. Finales syllabæ verbi tam frequentis in Grammaticorum Scholiastarumque scriptis quomodo explendæ sint, sæpius, ubi orationis series rem incertam facit, plurimum ambigas. Substantivum ἡ λέξις item solo *Lambda*, cui ε superscriptum est, significatur. Vide quæ dixi in voc. γενικὴ et λέξις.

Λέων, λέοντος.—Genitivus hujus vocis scribitur hoc compendio, λεο̃ν. Monui in Epist. p. 216, scribam Cod. Vat. 305.

in Scholiastâ Nicandri male dedisse εἰς λέοῦ pro εἰς λεοῦ, i. e. εἰς Λεόντιον.

Λόγος.—Solenne compendium hujus vocis ostendunt vv. λόγος et Θεολόγος e Cod. S. Germ. 315.

Λυσίας, Λυσανίας.—Duo hæc nomina confusa sunt, quod librarii ταχυγραφικῶς ea scribentes sæpe nihil ponerent nisi syllabam λυ, superscripto *Sigma*. v. Epist. p. 133, sq.

Λύσις.—Vide vocem e Cod. Paris. 2423.

Μέγας.—Vide exemp. ex Etymolog. Paris. v. etiam Gregor. p. 271.

Μέν.—Dixi ad Longinum Weiskii p. 641, hanc particulam itemque alteram δὲ in Cod. Paris. 2036. nonnunquam sic scribi, μὲν, δὲ, fortasse ut mutua earum relatio significetur. Eundem scribendi morem in plurimis codicibus tam vetustis quam recentioribus reperi. De confusione hujus particulæ cum μὴ dixi supra in syllabâ εν.

Μέρος, μέσος et μέλλων eodem compendio, h. e. literâ μ, cui superscripta est ε, significantur. Vide verba τοῦ (ex. 2) πολιτικοῦ λόγου μέρη εἰσὶ δ e Cod. Hermog. 1983, εἰς μέσον (ex. 1) τῆς (ex. 3) πόλεως e cod. 133, ὁ (ex. 1) μέλλων ὀμόρξω ex Etymolog. Paris. 2630. Vide voces τὰ (ex. 1) τοῦ (ex. 5) δευτέρου (ex. 1) μέσου (ex. 2) ἀορίστου Etymolog. Paris.

Μετὰ sæpissime per compendium sic scribitur, ut solum ponatur μ eique imponatur τ. Jam cum κ et μ sæpe commutentur (vide supra in *Kappa*), etiam præpositiones κατὰ et μετὰ confusæ sunt. Vide Gregor. p. 69, et 405.

Μέτρον, μετρούμενον, μετρεῖται aliæque formæ verbi μετρεῖσθαι interdum solâ syllabâ με, cui τρ superscriptum est, indicantur. Inde nata vocum μέτρον et μετρούμενον confusio.

Μή.—Plurimi scribæ codicum vetustorum et recentium hanc particulam sine accentu scribere ac cum voce sequente, sive a consonante sive a vocali incipiat, connectere solent. E. c. scriba S. Germ. 345. dedit μημένον pro μὴ μένον, et μηδεὶν pro μὴ δεῖν. Vide etiam voces ἐπὶ (ex. 3) μιᾷ γνώμῃ μὴ (ex. 1) μένων (ex. 1), et φασὶ (ex. 1) μὴ (ex. 1) δεῖν λέγειν (ex. 1). Hic scribendi mos varios in legendo errores peperit, de quibus v. ad Gregor. p. 295.

Μηδέ.—Pro hâc particulâ compositâ librarii persæpe scribunt, diremptis vocibus, e quibus constat, *μὴ δὲ*, sic ut ambæ hæ particulæ accentu suo instruantur.

Ξενοφῶν.—Causam confusionis vocum Ξενοφῶν et ξένος (v. Epist. p. 133) indicavi supra. v. Ἀριστοτέλης In Cod. S. Germ. 345. Ξενοφῶν nonnunquam solâ literâ ξ, cui superscripta est ε̄, indicatur. Vide voces Ξενοφῶν ἀπομνημονεύμασιν.

Ὁμοῦ.—Vide voces ὡς (ex. 6) οὐκ ἔστιν ὁμοῦ (ex. 1) ῥαθυμεῖν, e Cod. Libanii 2918. In Scholiis Codicis Platon. 1807. legitur locus tab. I. repræsentatus, quo in loco aliam etiam notam hujus adverbii reperisse mihi videor. Hanc, qui codicem in Ruhnkenii gratiam excussit, cum non intelligeret, plane omisit. Totum locum, ut e codice corrigendus est, hîc apponam: Ἐκ τῶν Μανεθῶ Αἰγυπτιακῶν· ἑπτακαιδεκάτη δυναστεία ποιμένες ἦσαν ἀδελφοὶ Φοίνικες, ξένοι βασιλεῖς, οἳ καὶ Μέμφιν εἷλον, ὧν πρῶτος Σαΐτης ἐβασίλευσεν ἔτη ῑθ̄, ἀφ' οὗ καὶ ὁ Σαΐτης νομὸς ἐκλήθη . . . . ., δεύτερος τούτων Βνῶν ἔτη μ̄, τρίτος Ἀρχάης ἔτη λ̄, τέταρτος Ἄφωφις ἔτη ῑδ̄, ὁμοῦ ρ̄γ̄ (i. e. summâ factâ annos 103: ῑδ̄ et ὁμοῦ desunt in edit. Ruhnken.) ὁ δὲ Σαΐτης προσέθηκε τῷ μηνὶ ὥρας ῑβ̄, ὡς εἶναι ἡμερῶν λ̄ κ. τ. λ. Duæ illæ lineolæ, quas habeo pro notâ tachygraphicâ adverbii ὁμοῦ, hucusque in nullo alio codice mihi oblatæ sunt. Si sorte fallar, peritos rerum palæographicarum rogo, ut meliora me doceant.

Ὄνομα.—Pluralis numerus hujus nominis passim sic scribitur, ut ostendit tab. XIV.

Ὁριστικός.—Vide supra in ἀόριστος.

Ὅταν, ὁπόταν.—In vetustis codicibus fere ὅτ' ἂν, ὁπότ' ἂν scriptum legitur. v. Append. p. 20, 26. Gregor. p. 161. Pariter dant semper γ' οὖν pro γοῦν, etc.

Ὅτι.—De notis tachygraphicis hujus particulæ dixi supra p. 33. item in v. ἐστίν. In Etymol. Sorbon. ὅτι interdum sic scribitur, ut docet ex. 3.

Οὐδέτερον nonnunquam significatur solâ syllabâ ο̄ῡ, cui litera δ superscripta est. Locus Etymolog. Paris. secundum orationis seriem legi debet ὡς, παρ' οὐδέτερον συγκείμενον. Hoc ο̄ῡ non semper recte expleverunt, in locum genuinæ

vocis nunc οὐδὲν, nunc οὐδὲ substituentes. v. Append. p. 27.

Οὕτως, οὗτος, οὗτοι sæpe indicantur hoc compendio, οῦ: quæ causa est confusionis harum vocum. v. Gregor. p. 70. Alia compendia adverbii οὕτως habet tab. XIV. ex Etymolog. Sorbon.

Παθητικός.—Plerumque hæc vox compendiose sic scribitur, ut cernere licet exem. 1. ex Etymolog. Paris. Si, ut factum est in altero exemplo, solum ponitur π̄ superscripto ᾱ, hoc compendium facile potest confundi cum voce πληθυντικὸς item scripta solo π̄, cui λ̄ impositum est, quando totum discrimen redit ad literas facillime commutabiles ᾱ et λ̄.

Παιδευτήριον.—Vide in v. ἀκρωτήριον.

Παρά.—Hæc præpositio significatur literâ π̄, cui nota voculæ ἄρα nunc adscribitur, nunc superscribitur. Vid. tab. I. καὶ παρὰ τὴν Λωτοφαγίδα νῆσον. Sic vetustus Codex Platon. 1807. Posterioribus temporibus, angulosa fecerunt rotunda, scripseruntque sic, ut ex. 2, 3. ex Etym. Sorbon. Rotundum hoc ἄρα non parum habet similitudinis cum E ψιλῷ, cujus medius ductus in superscribendo non minus porrigi solet (ibid.). Hinc notissima illa confusio præpositionum παρὰ et περὶ (v. Epist. p. 33, 102, etc.), cujus vera ratio non paucos fugit. Παρὰ τὸ, παρὰ τὴν, παρὰ τοῖς, παρὰ τῷ, compendiose sic scribuntur, ut ostendunt Ex. tab. XV. Librarii persæpe articulum neglexerunt, scripseruntque solum παρὰ (v. Gregor. p. 440.) quemadmodum ἀντὶ scriptum reperitur pro ἀντὶ τοῦ. Nec tamen desunt exempla, ubi contrario errore παρὰ τὸ invasit in locum simplicis præpositionis παρά. Sic παρὰ τὸ τὰ ἄλλα ζῶα pro παρὰ τὰ ἄλλα ζῶα. Vox πτῶσις compendiose scribitur literis π̄τ̄, quibus impositum est ω̄.

De confusione præpositionum παρὰ et ἀπὸ supra dixi. Veræ scripturæ παρὰ τοῦτο, codex tale compendium habet, quale ostendit tab. XV.

Παράδοσις.—Syllaba finalis σ̄ῑς̄ in hoc nomine aliisque in σις desinentibus (conf. supra v. κόλασις) omittitur, superscriturque vocalis antecedens. Idem compendium etiam παραδοχὴ significare potest: (Vide infra in voce συλλαβὴ) quapropter hæ duæ voces confusæ sunt.

Παραλήγω et παράληψις.—In ambabus his vocibus η scribitur super λ, sequentesque literæ plane omittuntur. Compendium verbi λήγειν lectoribus innotuit e loco πᾶσα (ex. 2) λέξις (ex. 3) εἰς αρ λήγουσα βαρύνεται (ex. 4); vocesque exeuntes in ψις haud raro eâdem plane ratione per compendia scribuntur, quâ voces in σις et ξις desinentes.

Περί.—De confusione hujus præpositionis cum παρὰ vide supra παρὰ, cum ἐπὶ supra p. 33.

Περισπώμενον.—In grammaticorum libris manu scriptis hæc vox non raro solâ literâ π, cui ε superscripta est, inque plurali numero duplicatione hujus compendii indicatur. Alii tachygraphi, ut pluralem περισπώμενα indicarent, duos deinceps circumflexos pingebant iisque superimponebant lineolam. Vide voces ἔστι δὲ (ex. 4) δευτέρα (ex. 2) συζυγία τῶν περισπωμένων, ex Etym. Paris. 2630. v. Greg. p. 349.

Πλεονασμός.—Hæc vox compendiose nunc πλεονασ (v. Gregor. p. 573.) nunc brevius πλεον/ scribitur. Eadem est ratio nominum διπλασιασμὸς, et ἀναδιπλασιασμός. Aliquanto magis etiam contrahitur vox, si pingatur solum π cum λ superscripto, aut πλ cum superscripto ε. Sic ἐν (ex. 5) πλεονασμῷ (ex. 1.) e Cod. Ven. Hom. A., et ἐν (ex. 5) πλεονασμῷ (ex. 2) τοῦ (ex. 6) ι, ex Etym. Sorbon.

Πληθυντικός.—Vide ex. 2. e Cod. S. Germ. 345. Sæpe nihil scribitur nisi πλ, cui impositum est η: sæpe adeo simplex π, superscriptam sibi habens literam λ. Illud ubi fit, πληθυντικὸς plane refert voces πλησίος, πληκτικὸς, etc. (v. supra in v. καταπληκτικός). In altero compendio superscriptum λ passim habuerunt pro α, legeruntque παθητικός.

Πνεῦμα.—In vulgus notum est hujus vocis compendium, πνα, de quo dixi ad Gregor. p. 99. Adjectivum inde derivatum πνευματικὸς compendiose scribitur πνικος. Vid. voces τῆς (ex. 1) πνευματικῆς γνώσεως. Quæ huic voci cæterisque omnibus, e. c. a Fischero ad Weller. P. I. p. 235. collectis, superimponitur lineola, significat literas mediis in vocibus suppressas esse. Reperitur hæc lineola in scripturâ tam unciali quam minusculâ. In Cod. S. Germ. 345. pro simplici lineolâ passim occurrit lineola cum asterisco in medio. Conf. vocem compendiose scriptam οὐρανός.

Ποιητής.—Librarii vocem hanc, in omnibus casibus, significant aut compendio $\overline{\pi o \iota \eta}$, superscribentes $\bar{\tau}$, aut compendio $\overline{\pi o \iota}$, superscribentes $\bar{\eta}$.

Πόλεμος, πολέμιος, πόλις, πολίτης, πολὺς, nonnunquam eodem compendio scribuntur. Hoc est syllabâ $\overline{\pi o}$, cui *Lambda* superscriptum est. Exempla confusionis harum vocum reperies Epist. p. 240, sq. et Append. p. 53.

Verba ὁ (ex. 4) ἥλιος ὑπὸ (ex. 3) τῶν (ex. 2) Κρητῶν οὕτως (ex. 1) λέγεται (ex. 2). φασὶ (ex. 2) γὰρ (ex. 1) τὴν (ex. 5) πόλιν (ex. 1), sumpsi ex articulo inedito Lexici S. Germ. rhetor. sophist.—Simul licuit repræsentare notam tachygraphicam nominis ἥλιος, quæ in libris manu scriptis sæpissime reperitur. Quæ nota cum etiam χρυσὸς significet nemo mirabitur facilem commutationem nominum ἥλιος et χρυσός.

Πολιτεία librarii nunc scripserunt πολῑ, nunc item $\overset{\lambda}{\pi o}$, quod compendium interdum legerunt πολιτικός. Vide voces Πλάτων πολιτείας (ex. 1) $\bar{\beta}$ etc. e Cod. S. Germ. 345. Eodem compendio scribitur adjectivum πολεμικός. Ideo passim confusa sunt πολεμικὸς et πολιτικός. Moneo hâc occasione Græcos scribas non usos esse peculiari compendio nominum in $\overline{\varepsilon\iota\alpha}$ et in $\overline{\iota\alpha}$ desinentium, sed consonam his syllabis antecedentem, ut in πολῑ, superscripsisse: qui fons fuit plurimorum errorum, cum socordia legentium in locum horum nominum sæpissime sufficeret adjectiva aut alia substantiva generis masculini.

Πολλάκις.—Vide tab. xvi. 2. it. v. συγκριτικός.

Πολύδωρος, Πολύδημος, Πολυδάμας, potuerunt, ut monui ad Gregor. p. 19, sq., solis duabus syllabis initialibus $\overline{\pi o \lambda \upsilon}$, *Delta* superscripto, indicari. Jam cum Πολύϊδος compendiose scriptum fuerit Πολύϊ̄, omnes vident hoc nomen cum Πολύδωρος facillime confundi potuisse.

Πρᾶγμα.—Vide supra v. γράφεται.

Πρόθεσις nunc scribitur hoc compendio, πρό (vide ad Gregor. p. 167), nunc perinde ut cætera nomina in σις desinentia, hoc est sic, ut $\bar{\varepsilon}$ ponatur super $\overline{\pi\rho o\theta}$. Posteriori modo scribuntur etiam θέσις, φύσις. (Vide voces τὸ $\bar{\alpha}$ φύσει ἐστὶ (ex. 2) μακρὸν, τὸ δὲ (ex. 4) $\bar{\iota}$ θέσει, ex Etym. Sorbon. Conf.

Greg. pag. 602.) *φύσις*, scriptum compendiose sine syllabâ finali *σις*, legi potest etiam *φυλακὴ*, *φυλάσσειν*, etc.

Πρόκρις.—Hoc nomen in codice quodam Parisino Apostolii scribitur hoc compendio, πριc: nisi tamen error est librarii, v. Epist. p. 204.

Πρός.—Notissima confusio præpositionum *πρὸς* et *πρὸ* nata est e compendio *πρ̊*, quo ambæ significantur. V. supra, p. 35. Interdum (quo modo etiam me errare memini) aliud agentes legerunt *παρὰ* ubi *πρὸς* legendum fuit: scilicet tunc, cum accentus gravis juxta ο superscriptum admodum longus esset literamque ο pæne contingeret, ut α scriptum esse videretur. Vide exemp. 4, 5. ex Etym. Sorbon. In unciali scripturâ *πρὸς* sic pingitur, ut ostendit exemp. 3. Tunc differt a verbo γράφεται solâ lineolâ quâ Π a Γ dignoscitur. Etiam τε et προς in scripturâ posteriorum seculorum ob ductuum similitudinem confunduntur: scilicet quando prior vocula sic scribitur, ut cernere licet in v. *εἴτε* (ex. 2), e codice 2551, atque in posteriore ambæ lineolæ literæ PI sic confluunt, ut τ scriptum esse videatur, literaque ο cum ρ connectitur, v. *πρὸ* et *πρός*.

Πρόσθεσις, *προσθήκη*.—Vide in v. *σύνθεσις*.

Προσνέμεται.—V. quæ de hâc voce ad Gregor. p. 184. dixi.

Προφέρειν et *προφέρεσθαι* eodem compendio (ex Etymolog. Sorb.) scribi possunt. Syllaba finalis ut recte suppleatur, attendenda est series orationis. v. Gregor. p. 578.

Ῥητέον indicatur hoc compendio, ῥη, e quo in Etym. Leid. (apud Kœn. ad Gregor. p. 341.) inscite supplendo posteriores syllabas fecerunt *ῥητορικῶς*.

Σημειοῦ, *σημείωσαι*, *σημειωτέον* in marginibus codicum sic notantur, uti ostendit tab. XVII. e Cod. Platon. 1807. et Cod. Hermogen. 1983.

Σοφοκλῆς.—In Cod. S. Germ., hoc nomen fere sic scribitur ut in tab. XVII. Primum exemplum, nisi attendas contextum verborum, facile legas, *σοφός*. Vide Epist. p. 133. Alterum exemplum compendii nominis Σοφοκλῆς sumptum est e Lexico *περὶ συντάξεως*, v. *ἄν*.

Στάδιος, *στάδιον*.—Vide exemp. e Cod. Palat. 398.

Σταυρὸς, *σταύρωσις*, *ἐσταύρωσαν* in vulgus notum est

scribi compendiose sic: στρς (CTPC), στρωσις, ἐστρωσαν. Vide Gregor. p. 61. Lineola superimposita index est suppressionis. V. in v. πνεῦμα.

Στοιχεῖον in singulari numero indicatur compendio στοι, superscripto χ; in plurali, eodem illo στοι, sed superscriptis duobus χ. v. Append. p. 13. Villoisonus duplex χ etiam singulari numero perperam attribuit. Vide voces κατὰ (ex. 5) στοιχεῖον, τῆς (ex. 2) Χριστοῦ γεννήσεως, e Cod. S. G. 345. Addo στοι, etiam nominis στοῖχος compendium esse posse, quemadmodum πρῶ significare potest et πρῶτος et πρωτεῖον. Propterea στοῖχος et στοιχεῖον confunduntur.

Συγκοπή.—De variis hujus vocis compendiis, συγ, συγκο, συγκ, dixi ad Gregor. p. 456. Ultimum in Scholiis Lucianeis male legendo abiisse σγκος (sic), monui ibid. v. etiam literam *Upsilon*.

Συγκριτικός.—Finales syllabæ ικος hujus similiumque vocum in unciali scripturâ sic notantur, ut ostendit vox ποιμενικήν. vide voces τίς ποιμενικὴν σύριγγα συνέθηκεν e Cod. Palat. 398. Librarius Cod. S. Germ. 345. ικος scripsit nunc ut in κλητικὴν, vide voces τὴν (ex. 5) κλητικὴν, ἱππικῆ (ex Apollonio); nunc ut in πληθυντικὸς (ex. 2).—E verbis τὴν κλητικὴν, e nomine proprio Σοφωκλῆς (ex. 2), sed maxime e verbo περιστατικὰ (ubi syllaba finalis expressa est), satis apparet compendium illud ξ, quod Reiskius dixit, reapse nihil esse aliud quam *Kappa* (v. supra hanc literam) idque passim ductu calami pictum insolentiore. Hoc *Kappa* in v. πληθυντικὸς, cum superscripto τ conjungitur, scribiturque τκ pro τικ, omissâ syllabâ finali. Posterioribus temporibus, quando singula *Iota* binis punctis instruerentur, totidem puncta, etiam super τκ pingebantur ad significandum *Iota* omissum, ductusque ille, literæ κ index, adeo augebatur (vide e. c. ἑλληνικὸν e cod. 2423), ut profecto longe fuisset simplicius vocem literis scribere omnibus. Ubi τικ a negligentioribus tachygraphis sic pictum esset, ut in v. φονευτικὰ e Cod. Vat. 305, legentes talem scripturam sæpe solum τ sibi videre visi sunt, ac τικος habuerunt pro simplici τος. Hinc ortum est vitiosum συγκριτὰ pro vero συγκριτικὰ, in Gregor. p. 110 sq., ubi simul mentio fit variorum errorum,

quos peperit compendium male intellectum finalis hujus $\overline{\iota\kappa o\varsigma}$. Apollonius Lex. pag. 442. τὰ δὲ ὀνόματα διὰ τοῦ ῑ γράφεται, ἥ τε Ἶρις καὶ ὁ Ἶρος. Hic Villoisonus, quem fugeret vis compendii syllabarum $\overline{\tau\iota\kappa o\varsigma}$, dedit ὀνόματα, pro ὀνοματικὰ, quomodo restituendum est. Vide tab. XIV. Lector ipse per se intelliget, $\overline{\tau\iota\kappa\alpha}$ in ὀνοματικὰ et $\overline{\tau\alpha\iota}$ in γράφεται eodem compendio significari. Vide supra syllabam $\overline{\alpha\iota}$. Eademque in compendiis congruentia fuit posteriorum temporum, cum scriptura ascivisset ductus illos insolentis magnitudinis. Conf. nomen πραγματικῶν cum verbo διακεχάρακται e Cod. Vat. 305. Præterea monere juvat adverbium πολλάκις in Cod. S. Germ. 345. nonnunquam sic scribi ut ostendit ex. 1. Etiam hinc discas compendium ξ, quod dicitur nihil aliud esse quam *Kappa* modo pictum insolentiore.

Compendium vocis πολλὰ facile legas πολλάκις; quapropter πολλὰ et πολλάκις confunduntur.

Συζυγία, ut cætera nomina in $\overline{\iota\alpha}$ desinentia, compendiose scribitur eo modo quem ostendit tab. XVII. Vide Gregor. p. 349; sed idem illud $\sigma\upsilon\zeta\overset{\Gamma}{\upsilon}$ significare potest σύζυγος. Indidem petas rationem fluctuationis inter σύζυγον et σύζυγα. V. Epist. p. 155.

Συλλαβή.—Duplex hujus vocis compendium est. Aut enim syllaba $\overline{\beta\eta}$ omittitur, ac superscribitur $\bar{\alpha}$; aut $\overline{\alpha\beta\eta}$ omittitur, superponiturque duplex *Lambda*. Vide voces τὴν (ex. 5) $\overline{\tau\rho\iota}$ συλλαβὴν pro quo Grammat. Herm. p. 438. dat perperam lectum τὴν τρισυλλαβίαν. v. Gregor. p. 260. Δισύλλαβος librarii compendia sectantes aut sic scribunt, ut videbis in voc. δισύλλαβος, it. in verbis τὰ (ex. 1) εἰς $\overline{o\varsigma}$ λήγοντα οὐδέτερα δισύλλαβα (ex. 2) e Cod. Marc. Hom.; aut sic, ut in verbis εἴτε (ex. 1) δισύλλαβα (ex. 1), εἴτε (ex. 1) ὑπερδισύλλαβα ex Etym. Sorbon. Compendium ultimæ vocis legi potest etiam ὑπὲρ δύο συλλαβάς. De confusione vocum συστολὴ et συλλαβὴ vide supra in v. ἀποβολή. Prius vocis συλλαβὴ compendium $\sigma\upsilon\lambda\lambda^{\alpha}$, facit ut recorder quod lectores hic notatum non inviti cognoscent. Nomina in $\overline{\gamma\eta}$, $\overline{\kappa\eta}$, $\overline{\chi\eta}$ etc. exeuntia ratione eâdem, h. e. omittendo has syllabas superimponendoque vocalem antecedentem, scribuntur.

Συμπλεκτικός.—Vide voces συμπλεκτικὸς, σύνδεσμος (ex. 2)

ἢ (ex. 2) περισπᾶται ἢ (ex. 2) βαρύνεται (ex. 6) ex Etym. Sorbon. Vocis σύνδεσμος frequentissimum compendium est syllaba $\overline{\sigma\upsilon\nu}$ superscriptum habens *Delta.*

Σύνθεσις, σύνθετος, συνθήκη eodem scribuntur compendio συν̇. Hinc orta confusio horum nominum. Pariter πρὸς significat tam πρόσθεσις quam προσθήκη.

Συστολή.—Vide in voc. ἀποβολή.

Τέ.—Librarii hanc voculam indicant lineolâ positâ inter bina puncta. Vide Gregor. p. 246. Vide voces οὔτε, ὥςτε (ex. 2) e Cod. S. Germ. 249, it. πρότερον e Cod. Marc. Hom. A. In recentioribus codicibus, qualis est Codex Libanii 2918, e. c. $\overline{\tau\epsilon}$ indicatur literâ τ superscriptâ syllabæ antecedenti. E. c. ἤλγησε pro ἤλγησέ τε, ἔν pro ἔν τε, quod facile potest confundi cum ἐν, i.e. ἐν τῷ. Omnino $\overline{\tau}$ ita superscriptum, ut significet $\overline{\tau\epsilon}$, multorum causa errorum fuit.

Τέλος, τέλειος, item verbum τελεῖν a scribis festinantibus indicari possunt syllabâ $\overline{\tau\epsilon}$, cui *Lambda* superscribitur. Hinc scripturæ diversitas ἐκ τέλους et ἐκ τελείου, v. Append. p. 19, it. fluctuatio inter τελῶν et τελεῖ, v. Gregor. p. 623. Verbum ἐτέλει legitur in Schol. Ven. ad Hom. Il. A. 38. In iisdem Scholiis ad Il. Δ. 253. Villoisonus ἐπὶ τούτου pro ἐπὶ τὸ τέλος dedit.

Τινές.—De confusione hujus vocis cum γίνεται vide supra syllabam $\overline{\alpha\iota}$.

Τροπὴ compendiose scribitur τρο̄. v. Append. p. 52, et Gregor. p. 161. Hoc quoque compendium causa est errorum: e. c. Librarius Etym. Sorb. male legit μετροποιΐαν pro μετατροπήν.

Ὑπὲρ et ὑπὸ confunduntur (v. Epist. p. 153) quia ambæ præpositiones nonnunquam, sed minus recte, scribuntur uno eodemque compendio, ὑ s. ῡ. Dixi minus recte: librariorum enim οἱ ἀκριβεστέροι utuntur compendio, ὑ tantummodo ad significandam præpositionem ὑπό: ubi autem ὑπὲρ scribere volunt, literæ $\overline{\pi}$ addunt notam syllabæ $\overline{\epsilon\rho}$. Præpositionis ὑπὲρ cum nomine ὕδωρ confusæ causam e compendiis ὑ et ὑ petii: sed cum ambarum vocum sint notæ tachygraphicæ admodum similes, quarum, cum Epistolam criticam scriberem, non memor eram, nunc mihi verisimilius videtur

confusionem illam ortam esse ex commutatione harum notarum. v. voces ὑπὲρ et ὕδωρ.

De præpositione ὑπὸ vide etiam supra, v. ἀπό.

Ὑπερσυντελικὸς compendiose plerumque scribitur ὑπερσυ͞ν͞τ͞λ, vel ὑπερσυ͞ν͞τ, interdum vero etiam solâ literâ ῡ, superscripto π̄, indicatur. v. Append. p. 54, et Gregor. p. 256.

Φασίν.—Omissâ syllabâ finali σ͞ι͞ν, superscribitur *Alpha*, aut ejus loco lineola. v. Epist. p. 176. et Append. pag. 46. Ad indicandum singularem φησὶν ponitur *Phi*, superscribiturque ei η̄. Vid. voc. φασὶν et φησὶν e Codice Hermogen. 1983. et Cod. S. Germ. 345. Sed hoc ipsum φ͞η etiam φημὶ indicare potest, neque etiam exempla desunt, ubi φησὶ pro φημὶ legerunt. Vide voc. ῥῆμα (ex. 2) unde intelligitur, quo ductu literam ρ̄ scriptam esse oporteat, ut pro literâ φ̄ habeatur.

Φίλος, φίλιος, Φίλων, Φιλόξενος, multæque aliæ voces, quæ a syllabâ φ͞ι͞λ incipiunt, a festinantibus scribis indicantur solâ syllabâ φ͞ι, cui *Lambda* superscribunt. Itaque ut veram vocem eruas, consideranda est series orationis: et vel sic res passim caret successu. Vide Append. p. 7. et Greg. p. 506.

Φοῖνιξ et Φοίνισσαι indicari possunt syllabâ φ͞ο͞ι, superscripto *Nu*.

Χρήσιμος, χρόνος.—Hæ voces eodem scribuntur compendio, h. e. solis literis χ et ρ quarum posterior inseritur priori. Vide has voces. Rarissime nomen χρόνος tali scribitur compendio, in quo caput literæ *Rho*, ut in exemplo quarto, infra *Chi* dependeat. Reiskius in Libanio, vol. 4. p. 295, 3. χρόνον mutare vult in χορόν. Hæc quidem nomina facillime confundi potuerunt, cum χορὸς a χρόνος solo ductu rotundo sub χ̄ discrepet. Prætera χ̄, cui ρ̄ superscriptum est, compendium esse potest vocum χρυσὸς, χρυσίον, Χρυσόστομος et Χριστός.

Ὡς.—Vide supra, in hâc syllabâ, et in voce καί.

C.—DE USU LITERARUM AD NUMEROS INDICANDOS.

Quando literæ usurpantur pro signis numerorum, librarii iis superimponunt lineolam (-), interdum etiam asteriscum. v. Append. p. 15. Hanc lineolam sæpe neglexerunt notasque numerales habuerunt pro simplicibus literis. Sic in Etym. M. p. 569, 35. legitur infinitivus *ποιεῖν*, pro *ποιεῖ ν̄*, i. e. *ποιεῖ πεντήκοντα*, quod ex Orione restituendum. v. Append. p. 55. Villoisonus in Scholiis Homericis legit *ἐκ τῶν ἑξήκοντα ἀνδρῶν* pro *ἐκ τ̄ ἑξήκοντα ἀ.* i. e. *ἐκ τριακοσίων ἑξήκοντα ἀ.* v. ibid. p. 56. Φ̄/ (compendium verbi *φασὶν*) in Suidâ habuerunt pro *φ̄* (*πεντακόσιοι*). v. Epist. p. 176. In Apollonio Dyscolo *ενα* non mutandum cum Sturzio in *ἓν* aut *ἕον*, sed legendum *ἐν ᾱ*, i. e. *ἐν πρώτῳ*. vid. Gregor. p. 616. Literis, etsi non indicantibus numeros, librarii tamen superimponere solent lineolam, e. c. scribentes *τὸ ᾱ*, *τὸ β̄*, pro *τὸ ἄλφα*, *τὸ βῆτα*.

Quemadmodum *β̄*, *γ̄*, *δ̄* etc. significare possunt tam *δύο*, *τρεῖς*, *τέσσαρες* &c. quam *δεύτερος*, *τρίτος*, *τέταρτος* etc., sic *ᾱ* valere potest tam *εἷς*, quam *πρῶτος*. Quando notæ sunt ordinalium numerorum, finalis syllaba, quam contextus poscit, passim superscribitur. E. c. Δ̊ valet pro *τέταρτος*. Præterea *δισύλλαβος*, *τρισύλλαβος* nonnunquam scribuntur *β̄σύλλ*$^{\alpha}$/, *γ̄σύλλ*$^{\alpha}$/.

In libris citandis compendium *ἐν γ̄* aut *ἐν*^{τ} *γ̄* expleri potest tam sic, *ἐν τῇ τρίτῃ* (subaud. *βίβλῳ*) quam sic *ἐν τῷ τρίτῳ* (subaud. *βιβλίῳ*). Hinc ortæ sunt diversitates scripturæ, de quibus, ad Gregor. p. 71, 106, &c.

Signum Koppa (v. voces *ἐτῶν ἐννενήκοντα*, e Cod. Platon. 1807.) in Scholiis Platon. p. 195. perperam legerunt pro *σ̄ι* (210) cum indicet nonaginta. v. Gregor. p. 82.

Ut literæ Γ et Τ, perinde confunduntur *τρεῖς* et *τριακόσιοι*. Lineola transversa (′) notæ imposita numerali signo est, notâ illâ indicari denominatorem fracturæ, cujus numerator est unitas. E. c. *γ′*$=\frac{1}{3}$; *δ′*$=\frac{1}{4}$ &c.

" Quando numerator uno erat major, denominator locum " eundem obtinuit, quem apud nos exponentes. Sic 15^{64} notat $\frac{15}{64}$ vel $\iota\epsilon^{\xi\delta}$; $\frac{7}{121}$ scribebatur $\zeta^{\rho\kappa\alpha}$." Delambr.

D.—MISCELLÆ OBSERVATIONES DE CODICIBUS GRÆCIS IN UNIVERSUM, SPECIALITERQUE DE VETUSTO COD. PALAT. 398.

Omissio accentûs vel spiritûs in voce plene integrisque literis scriptâ, dubitationis index est, aut significat librarium vocem pro corruptâ habuisse. v. Epist. p.14, 81. Greg. p. 650. (Sed in literâ *Iota* est exceptio hujus regulæ. v. supra hanc literam.) Sin vox per compendium scripta, syllabæque finales omissæ sunt, accentus (ut fieri solet in plurimis codicibus) deesse potest, neque propterea de verborum corruptione cogitandum est. Vide supra p. 33. Punctum voci superimpositum pariter index est dubitationis aut corruptionis: (v. Epist. p. 201) interdum verò indicat literam, cui impositum est, aut totam vocem delendam esse. Linea transversa (/) in medio exterioris marginis in Cod. Palat. 398, Cod. Longini 2036, aliisque cod. item indicat corruptionem. v. Epist. p. 48. Hæ lineæ ideo pingebantur, ut correctorem adverterent.

Voces, quas includunt duo puncta, aut duo uncini, legi non debent, vel habendæ sunt pro deletis. v. Epist. p. 28, 166. Hâc ratione librarii passim usi sunt, quando liturâ codicis elegantiam corrumpere nollent. In locis rasis scriba Cod. Palat. 398. aliquot lineolas — — —, aut ÷ ÷ ÷ ponere solet, quæ nihil significant, tantumque inserviunt explendo vacuo. Vidi codices, in quibus hujus modi lineolæ aut ÷ ÷ plures deinceps versus occuparent.

Librarii, qui vocem malè scriptam radendo delere nollent, puncta supra aut infra ponebant, aut eam punctis undique cingebant. Vide vocem *αὐτάς*. Alii librarii voces, quas deletas vellent, lineis traductis, ut nos solemus, notabant. Velut in Cod. Apollonii Dyscoli *καὶ* ante *ψέ*. vid. *καὶ ψὲ*, et Gregor. p. 254. In Apollon. Lex. Hom. syllabas $\overline{\text{ρηται}}$ in *εἴρηται*, solo *εἰ* remanente, v. Greg. in Eudociâ syllabas $\overline{\text{φιλο}}$ in *φιλοσοφῶν*.

Hunc morem notandi voces, quas deletas velis, Græci dicunt *διαγράφειν*: sed alterum illum tales voces cingendi

punctis aut lineolis minutulis, *περιγράφειν*. Porsonus ad Homer. Odyss. Λ, 524: "*Περιγράφειν* et *διαγράφειν* utrumque "delere per consequentiam sonant, modo tamen significandi "discrepant. *Περιγράφειν* est lineis vocem vel voces inclu-"dere, et sic delendas monere: *διαγράφειν* est transversâ "lineâ per literas ductâ damnare."

Alius modus voces vitiose scriptas corrigendi is est, ut vera scriptura pravæ superimponatur. E. c. in Lexico Apollonii, quod ad Gregor. p. 296 citavi, $\overset{\text{σκοπῶν}}{\text{μηνοῶν}}$, i. e. *μὴ σκοπῶν*, pro quo Villoisonus dedit *μὴ νοῶν σκοπῶν*. Sed hâc in re diligenter cavendum est, ne pro correctione habeatur, quod est nihil aliud quam glossema s. interpretamentum, cujusmodi voces pariter superscriptæ sunt. Vide Epist. p. 18, et Koen. ad Gregor. p. 243. Si librarii unam aut plures voces ordine scripserunt perverso, verum ordinem indicant imponendo vocibus notas numerales, $\bar{\alpha}$, $\bar{\beta}$, etc. Apollonius Lex. Hom. p. 536. Villois. *Μάσσασθαι, ἐφάψασθαι, μασᾶσθαι κ. τ. λ.* In Cod. S. Ger. verbo *μασᾶσθαι* superscriptum est $\bar{\alpha}$, verboque *ἐφάψασθαι* $\bar{\beta}$. Apparet igitur librarium *μασᾶσθαι* priore loco positum voluisse, quem ordinem cur Villoisonus non secutus sit ignoro. Ubi omittendo peccatum est, omissa in margine scribuntur, quoque loco in textum inserenda sint, signis quibusdam, e. c. ⁒, ∟, ∴ etc. indicatur. Ita vero passim accidit, ut, signis illis deletis aut neglectis, verba in margine suppleta alieno loco in textum immitterentur. v. Epist. p. 202. Præterea hoc modo glossemata et scholia e margine in textum immigrarunt.

In codicibus neque voces singulæ tam accurate separatæ, neque literæ unius ejusdemque vocis ubique tam continuâ serie junctæ sunt, ut nunc a typothetis nostris fieri solet. Duplex hoc veterum scribarum vitium ingentes in dirimendis vocibus errores peperit. Exempla vocum perperam aut junctarum aut separatarum reperies Epist. p. 65. aliisque locis.

Usum signi *ὑφὲν* tetigi Epist. p. 22 et 69. Quæ ibi exempla commemoravi, omnia sunt vocum e binis compositarum nominibus. Sed in Cod. Palat. 398. legas etiam hujusmodi exempla: *δι‿κεράτων, περί‿τρανος* etc. P. 46. v. 16. Epist.

typotheta vellem dedisset, quod codex habet, *καὶ περί*... Ita enim clarius appareret, ultimam vocem esse adjectivum cum *περὶ* compositum. Nostri moris voces in fine versuum ita dirimendi in partes suas ut una aut duæ lineolæ, indices sejunctionis, adpingantur, nulla occurrunt vestigia apud librarios vetustos. In Choricio legerunt *πάντι* (quod Villoisonus mutavit in *πάντως*) pro *πάνυ τι*, quod *Upsilon*, forte infra lineam delapsum, cum in ipsâ lineâ scriptum esse deberet, pro signo *ὑφὲν* haberent. v. Epist. p. 116.

In vocibus suas in partes dirimendis extremis versibus vetusti librarii satis diligenter observant regulam in vulgus notam, quando voces has tali pacto sejungunt: *ἄλ-λος, πράτ-τω, γί-γνεται, ὄ-γδοος, ἀ-μνὸς, δύσπε-πτος, ἐδεί-χθην, πα-ρέχω* (non *παρ-έχω*), *ἀ-φ᾽ ἑσπέρας, με-θ᾽ ἡμέραν, ἐξα-νέστη* etc.

Sed multum fallatur, si quis hodiernum canonem, Ut vox componitur, ita divellitur, in codicibus ubique observatum putet; scilicet voces *προσάγειν, συνήθεια, δηλονότι κ. τ. λ.* sic diremptas videas: *προ-σάγειν, συ-νήθεια, δηλο-νότι, κ. τ. λ.*

Ubi in Cod. Palat. 398. citantur fragmenta poetarum, aut aliquis loquens inducitur, in margine loco uncinorum, quibus typothetæ nostri utuntur („) comparent signa $\begin{pmatrix} \varepsilon & \times & \divideontimes \\ \varepsilon & \times & \divideontimes \\ \varepsilon & \times & \divideontimes \end{pmatrix}$ Eodem in libro ubi poetarum sunt fragmenta, syllabarum quantitas passim eodem, quo etiam nunc modo indicatur. v. Epist. p. 66, 67. Vide etiam Longinum Weiskii p. 641.

Vetustissimum signum circumflexi hoc est: ⌃, ∧. Postea, cum, ut in spiritibus, quorum ab initio hæ erant formæ, ⊣ ⊢ angulosi ductus mutarentur in rotundos, circumflexus sic pingebatur, ⌒ ⌒. Conf. notam tachygraphicam vocum *τῶν περισπωμένων*. Utraque circumflexi figura refert notam syllabæ *ω͡ν* compendiose scriptæ, cumque eâ confusa est. Vide supra hanc syllabam.

De confusione commatis signique interrogandi (;) cum notâ tachygraphicâ particulæ *δὲ* dixi supra in hâc voce. Ibidem et in syllabâ *ο͡ν* egi de confusione accentûs gravis cum syllabâ *ο͡ν*. Præterea de gravi, qui interdum prælongus pingitur, vide supra in voce *πρός*. Denique de apo-

strophi confusionibus cum syllabis $\overline{\epsilon\varsigma}$, $\overline{\eta\varsigma}$, $\overline{o\iota\varsigma}$ et $\overline{\omega\varsigma}$ vide supra in his ipsis syllabis.

In Lexicographorum libris manu scriptis literæ initiales singulorum articulorum, quo quisque facilius reperiretur, interdum rubro pigmento notabantur. Hoc dum fiebat, rubricator nonnunquam transiliebat unum alterumve articulum, uni pluribusve vocibus initialem literam appingere obliviscens, aut etiam rubricâ notabat literam initialem interpretationis articuli, cum literam primam ipsius articuli notare debuisset. Varii hinc errores nati sunt, quorum exempla dedi ad Gregor. p. 51, 368, 388, 576. not. *o*.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag.

3. v. 5 ab extr. pro *confundus* lege *confundas*.
7. v. 21. pro *voces* lege *vocibus*.
7. v. ult. pro *enumerari* lege *enumeravi*.
8. v. 7 ab extr. pro μητάληψις lege μετάληψις.
13. v. 4. pro ε̅ν̅ lege ι̅ν̅.
13. v. 22. pro *formâ* lege *forma*.
14. v. 21. Post *nota est* accedant hæc: In scholiasta Luciani *upsilon* plane neglexerunt dederuntque ἀποσγκος (sic) pro ἀπὸ συγκοπῆς. v. Gregor. p. 456. sq.
16. v. 7. pro πρo lege *pro*.
16. v. ult. pro *lineolâ* lege *lineola*.
19. v. 8. Post *tab*. 1. insere: In unciali scriptura tachygraphorum Π facile habeas tam pro N, quam pro H.
19. v. ult. Adde: e. c. Οἱ δὲ γράφοι, debetur errori sic perperam legentis οἱ ͅ γράφοι, pro οἱ ζωγράφοι. Scilicet librarius ζ̅ habuit pro notâ particulæ δὲ, notamque literæ ω̅ pro accentu gravi.
28. v. 2 ab extr. dele (ex. 1) post σέβας.
31. v. 23. pro *legerunt* lege *legerent*.
32. v. 8. pro ἐμπείρος lege ἐμπείρως.
34. v. 17 ab extr. pro *legerentque* lege *legeruntque*.
41. v. 15 ab extr. pro 107. lege 58.
43. v. 8. post *omittuntur* adde: Interdum scribitur solum δ̅ο̅.
45. v. 12 ab extr. pro *vice* lege *vide*.
45. v. 8 ab extr. pro 52. lege 34.

WORKS BY DR. HODGKIN.

A CATALOGUE OF THE ANATOMICAL MUSEUM OF GUY'S HOSPITAL; arranged so as to form the Outlines of an Anatomical Pathological Classification; with Observations prefixed to the Sections, and Directions for the Preservation of Specimens, for the Assistance of Medical Men and Travelling Naturalists.

Published at Guy's Hospital; and by S. Highley, Fleet Street. Price 15*s.*

ON THE INFLUENCE OF PHYSICAL AGENTS ON LIFE, by DR. EDWARDS. Translated from the French, by DR. HODGKIN and DR. FISHER. With Notes and Additions, by DR. HODGKIN and Others.

Published by S. Highley. Price 16*s.*

LECTURES ON THE MEANS OF PROMOTING AND PRESERVING HEALTH; delivered at the Mechanics' Institute, Spitalfields, by T. HODGKIN, M.D. Price 4*s.*